

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Volvntarivm Imperii Consortivm Inter Fridericvm Avstriacvm Et Lvdoovicvm Bavarvm Avgg.**

**Köhler, Johann David  
Baumann, Johann Friedrich**

**Altdorfii, 1733**

[urn:nbn:de:bsz:31-130795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130795)



95B 74 457 Ex libris  
Rüdt von Collenberg'sche Schloßbibliothek



Schloß Bötigheim

- I. Baumann: *Voluntarium Imperii Consortium.*
- II. *Laudum sive Sententia arbitraris à Reg. Gall. et Duc.*  
*in controversiis circa Widfang. Conduet. et Tolonia.*
- III. *Rechtliches Gutachten der Wittwe von de Vitz*
- IV. *Wagner de Mutatione Successionis in Familiis*  
*Illustribus.*

V.

VI.

VII.



D  
 P  
 R  
 L  
 M  
 A  
 C  
 A

F  
 G  
 O  
 R  
 A  
 M  
 E  
 L  
 R



ad p. 32.

L O G  
ME SC O  
L A R

S P G  
C I O  
A M L



F.

Q. D. B. V.

VOLVNTARIVM IMPERII CONSORTIVM  
INTER

FRIDERICVM  
AVSTRIACVM

ET

LVDOVICVM  
BAVARVM

AVGG.

EX PACTO DE ANNO MCCCXXV. ADSTRVCTVM  
*SVB MODERAMINE*

IOANNIS DAVIDIS KOELERI  
HIST. ET POLIT. PROFESSORIS PVBLICI  
ET BIBLIOTHECARI

*IN ALMA ACADEMIA ALTDORFINA*  
DISQVISITIONI ERVDITORVM PVBLICAE

D. XXIV. APRILIS A. MDCCXXXIII.

SVBMITTIT

*AVTOR RESPONSVRVS*

IOHANNES FRIDERICVS BAVMANN  
WERTHEIMIO - FRANCVS.

---

ALTDORFII

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.



Q. V. B. N.  
VOLUNTARIUM IMPERII CONSORTIUM

FRIDERICVM

AVSTRIACVM

ET

LVDOVICVM

BAVARVM

AVGG.

EX FACTO DE ANNO MDCCXXXI. ADSTRVCTVM

PER MORBERNVMINE

IOHANNIS DAVIDIS KOELLERI

PRIST. ET PUBLI PROFESSORIS PBLICI

ET BIBLIOTHECARI

IN ALMA ACADEMIA ALTDORFIVM

DISQVITIONI ERVDITORVM PBLICAE

D. XXII. APRILIS A. MDCCXXXIII

LAUSITIT

AVTOR RESPONSVVS


IOHANNES FRIDERICVS BAVMANN

WESTPHALIO-FRANCVS.

ALTDORFII

ALTERNIS MAGN. DANIELIS MEYER

5



SACRATISSIMO  
POTENTISSIMO AC INVICTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
CAROLO VI.  
ELECTO  
ROMANORVM IMPERATORI  
SEMPER AVGVSTO

REGI  
GERMANIAE HISPANIARVM INDIARVM  
HVNGARIAE BOHEMIAE SICILIAE  
VTRIVSQUE ETC. ETC.  
ARCHIDVCI AVSTRIAE  
DVCI BVRGVNDIAE BRABANTIAE MEDIOLANI  
STYRIAE CARINTHIAE CARNIOLAE LVXEMBURGI  
WIRTEMBERGIAE ET VTRIVSQUE SILESIAE  
ET QVAE SVNT RELIQVA  
IMPERATORI REGI CATHOLICO  
ET  
DOMINO SVO OMNIVM CLEMEN-  
TISSIMO.

AVGVSTISSIME ET INVICTISSIME

IMPERATOR,

DOMINE OMNIVM CLEMEN-  
TISSIME.



SACRAE CAESARAE  
MAIESTATIS VESTRAE  
quinque et decem Gloriosis-  
simis ex Domo Habsburgico-Austriaca  
ad

ad salutem Orbis Christiani divinitus datis  
et formatis Antecessoribus in Sacro Roma-  
no Imperio Teutonicæ Nationis, quorun-  
dam Hominum vel Inscitia, vel Invidia, ini-  
quo ausu, hætenus subducere laboravit FRI-  
DERICVM PVLCHRVM, IMPERATOREM,  
Augustissimum Constantiæ et Fortitudinis  
Austriacæ Exemplum.

Cum vero in tanta luce Historiarum  
hujus ævi omnia clariora reddantur, quæ  
unquam, vel delere vetustas, vel oblivio ob-  
scurare, vel invidia evertere, conata est, sub  
Auspiciis SACRAE CAESAREAE MA-  
IESTATIS VESTRAE, tenuissima quidem,  
sed devotissima, validissimisque monumentis  
suffulta opera, IMPERATOREM FRIDERICVM  
PVLCHRVM ab omnibus obtrectationibus  
vindicare, ac sibi optimo Jure competens  
anti-



antiquum Altissimæ Fortunæ ac Dignitatis  
Imperialis Fastigium reponere, meus extre-  
mus Academicus Labor fuit, quem totum  
ad immortale Decus et Gloriam AVGV-  
STISSIMÆ DOMVS AVSTRIACAE  
comparatum, ut SACRATISSIMA CAE-  
SAREA MAIESTAS VESTRA clemen-  
tissime respicere, SVAque Protectione di-  
gnari velit, prostratus ad Solium sacrum  
AVGVSTISSIMÆ VESTRAE MA-  
IESTATIS, maxime suppliciter et humilli-  
me oro atque obsecro.

Ex Votis tot Myriadum subditorum  
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS  
VESTRAE indies multiplicatis, fervet  
Deus Optimus Maximus AVGVSTISSI-  
MVM CAESAREM NOSTRVM, au-  
geatque innumeris Felicitatis et DOMVS

JOHANNES ERIBERICVS SEYMANNVS

B

AV-



AVGVSTAE incrementis , atque perpetua incolumitate , faxitque propitius , ut Firmamento Sanctionis Pragmaticæ , sapientissimæ Providentiæ AVGVSTAE maximo Beneficio , perftet , ac usque ad finem Se-culorum perduret Imperii Romano-Germanici et totius Christiani Orbis Salus et Tranquillitas inconcussa.

SACRATISSIMÆ MAIESTATIS  
CÆSAREÆ VESTRÆ

*subjectissimus devotissimusque  
servus*

B JOHANNES FRIDERICVS BAVMANN.



## PRÆFATIO.





*Imperium Romanum aliquoties biceps fuisse, atque Concordia Augustorum crevisse, historiarum fidemonumenta abunde comprobant.*

*Primos duos Augustos, M. AVRELIVM ANTONINVM et L. AVRELIVM ANTONINVM VERVM, ex Historia Romana illustra-*



B 2

*vit*





*vit V. CL. Christianus Freytagius sub Præsidio SCHVRZFLEISCHII Senioris. Morellius in Specimine univ. rei nummarie antiqu. Tab. IX. et Illustris Spanhemius in Vol. II. de Præstant. et Ufu Numismat. antiq. Dissert. XI. pag. 257. ex Regia Gallorum Gaza divulgavit Nummum singularis Raritatis, in quo hinc Caput Decii radiatum, illinc Capita Herennie Etruscilla, Etrusci, ac Hostiliani, cum Epigraphæ CONCORDIA AVGG. representantur. Ejusmodi plures Natos cum Genitore principantes, ut Sidonius Carm. XXIII. vers. 28. eos vocat, aspiciunt in Nummis, et AMOREM MUTVVM AVGG. junctis manibus, aliisque symbolis egregiis in illis eleganter designatum. Neque caret Consortibus Majestatis Augustæ Imperium Romanum, à Francis Germanisque renovatum, et cum Regno Germaniæ eterno*

*eterno Nexu conjunctum. Ita Imperator CAROLVS M. morbo et senio confectus evocatum ad se Filium, Ludovicum, in Comitibus Aquisgranensibus, Consortem sibi totius Regni et Imperialis Nominis, imposito Capiti ejus Diademate, constituit. vid. THEGANVS de Gestis Ludov. Pii cap. VI. Postea LUDOVICVS Imp. Filium suum Primogenitum Lotharium A. 817. Participem Nominis Augusti et Imperii fecit solenni Coronatione, suaque Diplomata Nomine insimul Lotharii inscripsit. vid. AGOBARDVS in Epist. flebili ad Ludov. N. IV. THEGANVS l. c. cap. XII. et MABILLONIVS de Re Diplom. Lib. VI. N 65. Ante acquisitum Imperium Romanum OTTO M. Rex Germaniae, communi totius Senatus Consensu, Ludolphum, Filium natu maximum, A. 947. Regni Consortem constituit. vid. CHRONOGRAPHVS SAXO ad hunc annum,*

pag. 160. *Idem postea Cæsar Augustus A. 967, alterum Filium Ottonem Coimperatorem dixit. Vid. OTTO FRISINGENSIS Chron. Lib. VI. c. 24. et plura Diplomata in SAGITTARII Antiquitat. Magdeburg. HENRICVS VI. Auspiciis Patris FRIDERICI PRIMI, Imperatoris, A. 1169. Aquisgrani Rex coronatus, Regia usus est Potestate in Germania et Imperio Romano, absente Patre. vid. GODEFRIDVS COLON. ad Annos 1189. et 90. Neque minus HENRICVM VII. Friderici II. Imperatoris Filium, A. 1220. Regem Romanorum creatum, absente Patre, habuisse Potentiam Regiam, Comitia celebrasse, Privilegia dedisse et confirmasse, Ordines Imperii proscripsisse, et Dignitatibus exuisse, multaque alia Negotia Regni egisse, multa testantur Diplomata. Vid. GESTA TREVIRENSIVM EPISCOPORVM*

*p. 126.*



p. 126. GODEFRIDVS COLONIENSIS, ad  
Ann. 1224. ALBERTVS STADENSIS ad hunc  
annum. Sed hæc Exempla tantum nobis osten-  
dunt diuisam inter Patrem et Filium Regiam  
et Imperatoriam Majestatem, bona Patris voluntate,  
Ordinumque Imperii Consensu. Præter Patrem et  
Filium, simul imperantes, nescit Imperium Germani-  
cum Collegas Imperii. Producimus ergo hac in Dis-  
sertatione Exemplum sine Exemplo atque maxime  
singulare in FRIDERICO AVSTRIACO  
et LVDOVICO BAVARO, AVGG.  
qui post atrox Bellum ex dissidiosa Electione ortum,  
illatasque invicem clades maximas, posita omni  
emulatione et simultate, Pacto quodam solenni So-  
cietatem Imperii in omnibus, cujuscunque Generis  
fuerint, Negotiis exæquati amice inierunt. Quo  
acrius et pertinacius hac inter Utrosque similis atque  
par

❁                      ❁

---

*par. Majestas Imperii in dubium vocata, imo et plane haecenus à multis negata est, eo studiosius à nobis fuit investigata, eoque fortius adstructa. Tuum nunc erit B. L. Sententiam nostram probe examinatum, Tuo calculo vel comprobare, vel illi idoneis Rationibus refragari; Utcunque Tibi visum fuerit, id nobis erit gratissimum. Vale.*



VOLVN.



Joh. Müller del.

Mart. Schaffner sculp.

VOLVNTARIVM IMPERII CONSORTIUM  
INTER  
FRIDERICVM AVSTRIACVM  
ET  
LVDOVICVM BAVARVM  
AVGG.

*Ex Pacto de Anno 1325. adstructum.*



**C**elebratissima est controversia  
inter Scriptores Austriacos et  
Bavaricos de Jure Imperii post  
**C** dimis-

*Causa Austriaca  
superior in dissi-  
dio cum Histori-  
cis Boicis de so-  
cietate Imp. Augg.  
FRIDERICI  
AVSTRIACI  
et LVDOVICI  
BAVARI.*

dimissum à Ludovico Bavaro è captivitate triennali Fridericum Austriacum, vel cum hoc ab illo amice communicato, vel ab hoc plane abdicato, consignatis Pactis, quæ utrique in amplissima authenticaque Forma, pro stabilienda sibi invicem contraria sententia, producunt, et vehementer urgent. Satis diu quidem, erecto quasi Trophæo, triumphare visi sunt Statores Ludoviciani de Friderico Austriaco, admodum duris Libertatis legibus de Culmine Augustali detruso, atque ad fortem patrimoniam rejecto, sed omnino Epinicion ante Victoriâ eos canere, causamque Vindicum Austriacorum longe potiorrem firmioremque esse, Argumentis, non vanis ac ficulneis, sed validis ac ex Fide Diplomatum, Testimoniis Historicorum idoneorum, justaque Rerum gestarum ferie petitis, comprobare, absque omni Partium studio, et solo Veritatis ac Justitiæ amore, nobis volupe est.

II. An-

## II.

Ante omnia itaque iuvat proferre Tabu-  
 las Transactionis de Consortio Imperii inter  
 Ludovicum Boicum et Fridericum Austria-  
 cum, in libertatem restitutum inito, easque  
 contra omnes obtrectationes defendere, quo-  
 niam in iis omnis cardo hujus Disceptationis  
 vertitur. Illæ ex CVSPINIANO, FVGGERO  
 et LAMBECIO fideliter repetitæ, cum Latina  
 Versione HERWARTI, ob Exteros adjecta,  
 ita se habent:

*Quod probatur  
 I.) ex Tabulis  
 transactionis  
 inter eos de  
 A. 1325.*



## TEXTVS AVTHENTICVS.

**I**n Ludowich vñ Friderich / von Gots gnaden  
 Romische Chunige ze allen zeiten mer' dez  
 Riches / Tuon chuont allen die disen brief  
 sehent od' horent lesen. Daz wir in dem namen gots.  
 Got vñ seinen Heiligen ze love / d' Chirchen zuo Rome  
 ze Eren / Romischem Riche ze fruom vñ d' Heiligen  
 cristenheit ze fride vñ ze sch'm nach weiser vñ gelert'  
 Laeute Pfaffen vñ leyen Rat vñ wisuong / 1) vns  
 mit ein and' v'ainet vñ 2) v'bunden haben ewiglich.  
 3) Daz wir daz Romische riche darzo wir bede erwelt  
 vñ geweiht sein mit allen seinen werden / Eren / rechten /  
 laeuten / vñ guoten / vñ swaz ez hat vñ darzo gehoert  
 vber al die w't mit ein and' glich als ein Persone einem  
 nicht baz dann dem and'n ietwed'm mer noch minre  
 besizen / haben / pflegn / vñ handeln sullen / 4) vnd  
 sülle vns mit ein and' beholfen sein mit staet' trave /  
 mit Raeten / mit arbeit / mit vlezzeheit / mit reden /  
 vñ w'chen / vñ mit allen vñ an allen sachen als v'e vns  
 leip vñ guot weret wid' aller maennlich. Vñ sullen ein'  
 den and'n nicht lazzen noch im entwichen ob einen sun-  
 d'liche sache angienge w'tlich od' geistlich. Sund' swaz eins  
 sache ist die sol sein dez and'n auf alle ort / vñ auf alle  
 not. 5) vñ sülle vbel vñ guot / fruom vñ schaden  
 glich

## VERSIO LATINA.

**N**os Ludovicus et Fridericus, Romanorum Reges, Ludovicus et Fridericus Regg. pacifuntur inter se  
 semper Augusti, notum facimus omnibus has li-  
 teras visuris, aut legi audituris, quod in No-  
 mine Dei, ad Dei et Sanctorum eius laudem, Ecclesia  
 Romana Honorem, Romani Imperii Utilitatem, et San-  
 ctae Christianitatis Pacem ac Defensionem, juxta sa-  
 pientum ac doctorum Virorum, Clericorum ac Laico-  
 rum, Consilium et Informationem,

Nos invicem 1) reconciliavimus, et 2) consoedera-  
 vimus, in perpetuum, ea lege, 3) ut Romanum Im-  
 perium, ad quod ambo electi et consecrati sumus, cum  
 omnibus suis dignitatibus, Honoribus, Iuribus, Homi-  
 nibus atque Bonis, et quicquid habet, et ad illud per-  
 tinet, in universo mundo, pariter tanquam una Perso-  
 na, unus non melius, quam alter, nec plus, aut mi-  
 nus, possideamus, habeamus, procuremus et administremus;

4) Volumus etiam nos invicem adjuvare perpetua  
 Fide, vindicando, laborando, satagendo, loquendo,  
 agendo, et cum omnibus atque in omnibus rebus, quo-  
 usque nostrum corpus atque bona perdurant, contra  
 quoscunque, ac debet alter alterum non deserere, nec  
 ab ipso discedere, si alteri peculiaria Negotia fierent  
 secularia aut spiritualia: Sed Causa unius esto etiam  
 alterius, in omni loco et in omni Necessitate.

5) Debemus insuper malum et bonum, emolumen-  
 tum et damnum pariter aestimare in omnibus rebus;

C 3

6) Pa-

gliche tragen an allen dingen. 6) Wir sullen auch gliche Ere haben ze strazzen / ze Chirchē / vñ an aller stat / vñ vns bede Romische Chunige vñ mer' dez Riche's schriben vnd nennen / vñ vns brueder hezzen vñ schriben an ein and' vnd auch als brueder haben. Vñ si' vnd' vns dem and'n schribet / der sol in fuer setzen. Schriben av' wir bede mit ein and' Hantvest / od' briefe / so setze sich der heute / d' morgen fuer / daz dar an Rhain vorganch sei. 7) Handelt vnser ein' icht do d' and' nicht engagant ist / an swelcherlay sache daz ist / d' sol daz tuon in ienes vñ in seinem namen / vñ sol in fuer w'sen / daz man icht waene / daz die handlung dez baz sei d' si tuot / dann dez and'n wann vnser w'ch von beder wegn vnteilich geschehen sullen / an allen dingen. 8) Wir sullen zwei niuwe Insigel machen in den ietwed'm vnser beder namen gegraben sein. Vñ in vns'm Chunig Ludowiges insigel sol Chunig Frideriches name vor steen. Alsam in vns'm Chunig Frider' insigel sol Chunig Ludowiges name vor steen ; vñ sullen die insigel gleicher groeZZe / forme / vñ buochstab sein. 9) Swaz groZZer lehen / als Chunigriche / Fürstentum / Graffschaft / Herschaft / vñ die and's groZZe lehen seint / dem Riche ledich w'dent / die sullen wir bede mit ein and' leihen / vñ einer an den and'n nicht. 10) Ander w'tliche lehen vñ geistliche / Probestey / Chirchen / vñ swie si genant seint / w'dent die ledich /

6) *Parem quoque Dignitatem habere in Viis, in Ecclesiis, et in omni loco, et nos ambos Romanos Reges et Augustos scribere et nominare, et nos Fratres vocare et scribere invicem, atque etiam ceu Fratres gerere. Et qui ex nobis alteri scribit, is eum praeponat; Cum vero scribimus ambo simul Privilegia, vel literas, tum praeponat se hic hodie, ille cras, ut in hoc Prærogativa sit nulla.*

6) de pari dignitate utriusque

a) in omni loco.  
b) in appellatione.

c) in Scriptio-  
ne.

7) *Cum agit unus nostrum, quippiam altero absente, quacun- que in re, id agat alterius et suo Nomine, illumque præferat, ut non animadvertatur actum ejus esse meliorem, qui eum perficit, quam alterius, quandoquidem actiones utriusque Nostrum indivisa fieri debent in omnibus rebus.*

7) de communi-  
bus actionibus.

8) *Debemus etiam duo nova sigilla facere, in quibus ambobus utriusque Nostrum Nomina scripta sint, et in nostro Regis Ludovici sigillo debet Regis Friderici Nomen præcedere, sicut in nostro Regis Friderici Sigillo, debet Regis Ludovici Nomen præire, et debent Sigilla ejusdem Magnitudinis, Formæ, ac Literæ esse.*

8) de paritate  
Sigillorum.

9) *Quæ majora Feuda, utpote Regna, Principatus, Comitatus, et quæ alias majora Feuda sunt, ad Imperium devolvuntur, ea debemus ambo simul conferre, non alter absque altero.*

9) de collatione  
simultanea feudo-  
rum Imperii  
majorum.

10) *Alia secularia Feuda et ecclesiastica, Præpositura, Ecclesia, quomodocunque nominentur, si vacent, eaque*

10) de collatione  
feudorum mi-  
norum singulari  
ab altero rati-  
habenda.

ledich / sw' die e-leihet vnd' vns / das sol d' and' staete haben / vñ hat fuerganch. II) Leihen wir av' glich. w' die Gewere e-gewinnet / d' gewinnet / 12) vnd nach w'tlichen lehen die ledich w'dent swelcher die vnd' vns leihet d' sol den ayt nach den lehen naemen / daz vns beden gesworn w'de / vñ der fuer gesezet an dem ayde der nicht engagien ist / vñ sol er den lehenman zvo dem and'n wisen so er schirest zvo im chuomen mach daz er si auch von im enphabe. Sam ist ob ein geistlicher / oder w'tlicher Fürste / Prelate oder H're / der seine lehen von dem Riche naemen sol / von vns' in einem enphienge / der sol den ayd von im naemen / vñ in zvo dem and'n wisen als vor geschriben stet. 13) Vnser entwed' an den and'n sol noch mach dez Riches Stete / Buerg / Bestn / Herschaft / lant vñ lacute / vñ swaz so grozzes ist / nicht enpfremden / noch v'chvomm'n / noch gar grozze sache handeln. 14) Bert vnser ein' ein gein Waelischen landen / dem sol d' and' seinen gewalt hin ein geben / vñ ien' disem hie auz lazzen volliclich. 15) Swaz auch vnser einer fürbaz tuot / daz sol d' and' stete haben / vñ bestetigen mit seinen briesen. Swaz av' ber vor her vnser ietwed' getan hat / mit gabe / mit lehen / mit v'sezen / v'chvomm'n / vñ swelcherley and's daz ist / ez sei an w'tlichen / od' an geistlichen sachen / do er gewalt hett / daz sol staete sein iedem manne : Ez sei danne daz wir mit gemainem Rat vñ willen  
dem

eaque alteruter conferat ex nobis, alter ratum habeto et firmum.

11) Si autem simul conferamus Feudum, qui Investituram prius consequitur, is acquirit Feudum.

11) de acquisitione feudi in simultanea investitura.

12) Et in secularibus Feudis, quæ vacant, alteruter, qui ex nobis ea confert, Homagium pro Feudo ita recipiat, ut nobis ambobus juretur, et præponatur in Juramento, qui non est præsens. Vasallum item ad alterum dirigat, quam primum eum adire poterit, ut Feudum ab eo quoque accipiat. Quod si vero Ecclesiasticus aut secularis Princeps, Prælatus, vel Dominus, qui sua Feuda ab Imperio accipere tenetur, ab altero Nostrum acciperet, is Homagium ab eo recipiat, eumque ad alterum dirigat, sicut supra scriptum est.

12) de forma recipiendi homagium,  
a) pro feudo seculari vacante.

b) pro aliis feudis ecclesiasticorum et secularium, Principum et Dominorum.

13) Alter Nostrum absque altero non debet, nec potest, Imperii Civitates, Castra, Munitiones, Domina, Terras, et Homines, et quicquid tam magnum est, alienare, neque oppignerare, neque res valde magnas pertractare.

13) de nulla, nisi communi consensu, faciendâ alienatione vel oppignatione bonorum Imperii.

14) Si proficiscatur unus ex nobis in Italiam, huic debet alter mandatum suum eo tradere, et huic hic relinquere sponte.

14) de mutuis mandatis in expeditione Romana alterius.

15) Quicquid etiam unus Nostrum in posterum facit, hoc debet alter ratum habere, et confirmare suis literis. Quicquid autem antea uterque Nostrum fecit, donando, Feuda conferendo, providendo, oppignerando, et quocunque alio modo, sive in secularibus, sive in Ecclesiasticis Rebus, in quibus Potestatem habet, id firmum esto omnibus, nisi id communi consilio et volun-

15) de Confirmatione mutua omnium actuum  
a) posteriorum,  
b) anteriorum.

D

tate

dem Riche daz gebezz'n moegn. Vñ mit namen swaz wir Chunig Ludowich gein vns'm Svone dem Marchgrafen von Brandembuorch / vnd gein vns'm Eydem dem Marchgrafen von Mysne mit lehen irze Furstentuum / vñ mit and'n sachen getan haben / daz sol ganz vnd staete sein. 16) Haben wir bedersit ein Guot / od' dinch swaz daz ist zwein / od' mer / gegeben / v'lihen / v'sezet / od' v'chvomm't / swelcher dez in nuoz vñ gewere siset dem sol daz beliben. 17) Alles auch daz vnser ietweder dez Riches inne hat / oder noch ein gewinnet / Lant / laevte / vnd swie daz genant ist / daz sol er dem and'n vnd'tenich machen. 18) Vñ sw' einem geschworn hat / oder sweret / der sol dem and'n auch sweren. Er sei Furste / w'tlich od' geistlich / Grafe / Breue / dinstman / Stete / Maercht / Pfaffe / oder leye / 19) vñ sw' vnser eins v'reunt vñ gvenn' ist / daz der dez and'n v'reunt vnd gvenn' sei. Sw' av' sich dez saetzte / wid' den sullen wir vns an ein and' beholfen sein mit aller macht / Daz der / oder die sein benoetet w'den. 20) Wir sullen auch bede einen Hoffricht' / vñ einen Hoffschreiber haben / daz vnser Gericht vngeteilet sei / vñ die sullen halbs jar / oder vierteil jares bei vnser einem / daz ander teil bei dem and'n sein. Vñ swaz vor vnser einem gerichtet wirt / daz ist vor dem and'n staete / vñ daz angevenget wirt vor einem / daz mach geendet w'den vor dem and'n / vñ herwider vnd hinchvomen

tate in melius ad Imperii utilitatem mutare possimus ;  
Et nominatim , quicquid Nos Rex Ludovicus erga Fi-  
lium nostrum , Marchionem Brandenburgensem , et erga  
nostrum Generum , Marchionem Misnensem , Feuda  
Principatum , aliaque eis conferendo fecimus , ratum  
et firmum esto.

16) Si utrinque rem aliquam , et Bonum quod-  
cunque duobus vel pluribus dedimus , in Feudum con-  
tulimus , oppigneravimus , quicumque possidet hoc , et  
evicit , penes illum maneto.

17) Omne quoque , quod alteruter nostrum de Im-  
perio possidet , aut deinceps acquirit , Terras , Homines ,  
aut quidvis aliud , id alteri subjiciat.

18) Et quicumque uni juravit , vel jurat , is alteri  
quoque juret , sive sit Princeps secularis , sive Ecclesia-  
sticus , Comes , Liber , Ministerialis , Civitas , Opi-  
dum , Clericus sive Laicus.

19) Et quisquis unius Nostrum Amicus est et  
Fautor , alterius quoque Amicus et Fautor esto . Qui  
vero hoc denegaverit , contra hunc debemus nos in-  
vicem juvare pro viribus , ut ille vel illi cogantur.

20) Debemus quoque nos ambo eundem Judicem  
Curie , et eundem Scribam Curie habere , ut Nostrum  
Judicium indivisum sit ; Et hi debent per dimidium  
Annum , vel per quartam Anni partem , modo apud  
unum , modo apud alterum Nostrum , per vices manere ;  
Et quicquid coram uno ex nobis judicabitur , hoc erit  
coram altero ratum , et quod inchoatur coram uno , hoc  
potest finiri coram altero , et vicissim reassumi , quoties-

D 2

cunque

nominatim  
Concessionum  
LUDOVICI  
IMP.

1) in filium .  
Marchionem  
Brandenb.

2) in generum .  
Marchionem  
Misnensem.

16) de addita  
possessione ab  
alterutro concef-  
sorum feudorum  
et hypothecarum

17) de subiciendis  
alteri possessioni-  
bus Imperii  
alterius tam  
praesentibus ,  
quam futuris ,

18) de communi  
juramento Sta-  
tutum Imperii  
accipiendo .

19) de communi-  
bus amicis et ini-  
micis habendis .

20) de communi  
Judicio aulico  
instituenlo .



chvomen als dicke sich die zil v'loufen. Bñ sw' vor  
 vnser einem gedechtet wirt / d' mach vor dem and'n  
 davon chvomen / wann ez ein Gericht vnd Riche ist.  
 21) Swaz auch vor vns gerichtet ist zwischen den die  
 vns fuer Chunige hetten / daz sol bedersit staete sein /  
 vnd volfuert w'den. Swaz av' wir Chunig Frider'.  
 gein den die an Chunig Ludowigen iahen nach der  
 vns'n clage / vnd wir Chunig Ludowig hinwid' gein  
 den die an Chunig Frider'. iahen / nach der vns'n clage  
 gerichtet haben / daz ist bedersit abe / 22) vnd sol ied'  
 man fuerbaz von dem and'n recht naemen vnd tuon.  
 Ueber daz allez / an allen sachen / werden vnd Eren in  
 allen Landen vber al die wlt ze allen rechten vnd wir-  
 den / vnd ze allen dingen gein Fursten / geistlich vnd  
 w'tlich / Grafen / Breyen / Steten / gein Richen vnd  
 Armen / Edeln vnd Bnedeln sein wir gliches gewaltis  
 vnd Herschaft / daz entwed' der vorder / noch der hind' /  
 der ober / noch der nider ist in allem daz daz Riche hat.  
 23) Vnd sullen vns bede setzen als ein man / ob man  
 wid' vns / od' wid' vnser einen mit gaislichen od' w't-  
 lichen sachen ez sei Pfaffe od' leye ichtes icht handeln  
 od' tuon wolt / od' vor gehandelt / od' getan hett uns /  
 od' dem Riche zwo gev'de / od' ze schaden swelcherley weis  
 daz ist. 24) Vnd sullen vns dez an ein and' nicht  
 lazzen / duorch dhain not geistlich oder w'tlich. Vnd  
 wanne

cunque termini elabuntur; Et quisquis ab uno Nostrum bannitur, is potest absolvi coram altero, siquidem unum est Judicium et unus Judex.

21) Quicquid etiam coram nobis judicatum est inter eos, qui nos pro Regibus habebant, hoc debet ex utraque parte ratum esse, et ad finem perduci; Quicquid autem Nos, Rex Fridericus, contra illos, qui Regis Ludovici partes sequebantur, ad nostrorum actionem, et nos Rex Ludovicus vicissim contra Regis Friderici se-  
Etatores super nostrorum Postulationem, judicavimus, hoc est utrinque cassum;

21) de rati-  
ficatione, vel aboli-  
tione antea ab  
utroque judica-  
torum.

22) Et debet quilibet imposterum ab altero Jus petere, et facere super hac omnia in omnibus Rebus, Dignitatibus, Honoribus, in omnibus Terris totius Orbis, ad omnia Jura et Dignitates, circa res omnes, erga Principes Ecclesiasticos vel Seculares, Comites, Liberos, Civitates, Divites et Pauperes, Nobiles, et ignobiles, quibus omnibus sumus paris Potestatis et Dominationis, adeo ut neuter Nostrum prior vel posterior, superior vel inferior sit, in omnibus, quæ Imperium habet.

22) de jurisdic-  
tione communi.

ob parem  
potestatem;

23) Et debemus nos ambos tanquam unus Vir opponere, si contra nos, vel alterum ex Nobis, in Spiritu-  
libus et Secularibus Negotiis, sive Clerici, sive Laici aliquid unquam agere vel facere vellent, aut antehac egissent, fecissentve, in Nostrum aut Imperii Præjudicium quocumque modo:

23) de mutua ope  
contra adversa-  
rios quoscumque.

24) Debemus item nos invicem non deserere per ullam necessitatem Ecclesiasticam vel secularem. Et

24) de nulla de-  
sertione alterius  
in quacumque  
necessitate.

wanne wir in got vnd mit got allez daz vor geschriben  
 ist einmuetlich getan haben. Geheizzen wir bey vns'n  
 eynden vñ traven die wir dar vber leiplich geschworn / vñ  
 gegeben haben / vnd bei aller v'bundnvoꝝ der wir vns  
 gein Got / zwischen vns vor vns'n Pichtign / vor v'bund  
 den haben / daz wir ez allez von worte ze worte / als  
 oben geschriben ist biz an vnser beder ende vntzerbro  
 chenlich staet vnd ganz haben / lieplich vnd get'welich /  
 vnd volfuere an allen seinen stuoeken. Vnd besunder  
 lich daz wir in der aynvoꝝ dem Romischen Riche sein  
 Ere / sein Guot / vnd wirde vordern / weren / halten /  
 vnd meren mit aller macht als wir v'rest moegn leibes  
 vnd guotes nach rechtem gelouben vnd cristenlichen  
 leben. Dar vber zwo vrchuend geben wir disen brief  
 mit vns'n hangenden insigeln / der wir iezo walten /  
 v'sigeln. Vnd geheizzen bei aller der v'bundnvoꝝ / als  
 nuo vor geschriben ist / daz wir in v'niven und v'sigeln  
 mit vns'n niven Insigeln als si schirest gegraben w'dent.  
 Aller der vorgeschriben sache seint gezeuge Grafe V'tolt  
 von Hennemb'g / Frider' Burggrafe von  
 Nuremb'g / bruod' Chuonrat von Gundel  
 fingen Maister dez Deutschen Ordens in Deut  
 schen Landen / Hermann von Lichtemb'g Cangelere /  
 Maister

quandoquidem nos in Deo et cum Deo, omne, quod supra scriptum est, unanimiter fecimus, promittimus per Juramentum nostrum et fidem, quæ super hac corporaliter præstitimus, et dedimus sub omni obligatione, quæ nos erga Deum, coram nostris Confessariis antea constrinximus, quod nos omnia de verbo ad verbum, sicut supra scriptum est, usque ad nostrum utriusque obitum, inviolabiliter rata ac integra tenere, amabiliter et fideliter et perficere volumus in omnibus suis partibus: Et præcipue quod nos in hac reconciliatione Romano Imperio suum honorem, sua Bona et Dignitatem promoveri, tutari, tenere et augere volumus, omni nostra ope ac vi, quanta maxima poterimus, in Corpore et Bonis, secundum veram Fidem et Christianam Vitam. In quorum Testimonium damus has literas, cum dependentibus nostris Sigillis, et promittimus sub omni obligatione supra scripta, quod illas velimus renovare et sigillare nostris novis Sigillis, quam primum illa sculpta fuerint. Omnium supra scriptarum Rerum sunt Testes, Comes BERTHOLDVS de Henneberg, FRIDERICVS, Burggravius de Nurnberg, Frater CONRADVS DE GVNDELFINGEN, Magister Teutonici Ordinis in Alemannia, HERMAN-

NVS

Firmamenta  
unionis.

1) per iuram  
promissionem

a) de servando,  
hoc pacto in  
omnibus capi-  
tibus.

b) de promo-  
venda et tuenda  
dignitate Impe-  
rii per hanc  
concordiam.

2) per appensa  
figilla.

a) antiqua.  
b) et nova.

3) per testes.

Maister Ulrich der Wilde Oberster Schrib' vnser  
 Chunig Ludowiges / Dytrich von Pillichtorf / Hans  
 Truchtsaech von Dyezzenhofen / Weignant von  
 Trausnicht / brud' Conrat Prior von Muenchen/  
 vnd bruoder Goetsfrit Prior zuo Nowbach in aller  
 Heiligen tal vnser beder Pichtig' / die alle do bei gewesen  
 seint. Der brief ist gebē zuo Munchen an dem Pfingz-  
 tag vor vnser Brownen tag als si geboren wart. Do  
 man zalt von Crists gebuert Dreutzehen huond't Jar.  
 Darnach in dem finnf vnd zweinzigistem Jare. In  
 dem Eylifften Jare vns's Riches.

L. S.

L. S.

NVS à LIECHTENBERG, Cancellarius, Magister VLRICVS WILDE, supremus Scriba nostri Regis Ludovici, DIETERICVS DE BILLICHDORF, JOHANNES DAPIFER DE DIESSENHOFEN, BEIGANDVS à TRAVSNICHT, Frater CONRADVS Prior de Monachio, et Frater GOTTFRIDVS Prior Maurbachensis in omnium Sanctorum Valle, *utriusque Nostrum Confessarii, qui omnes interfuerunt.* Ha Litera data sunt Monachii <sup>Datum Monachii</sup> <sub>A. 1325.</sub> die Jovis ante Domina nostra diem, cum nasceretur, Anno à Christi Nativitate MCCCXXV. undecimo Anno nostri Regni.



E

Mono-

Monogrammata et Sigilla hisce Tabulis apposita Ludovici et Friderici, Augustorum, hoc modo reconciliatorum, quæ FVGGERVVS im Spiegel der Ehren des Erz-Hauses Oesterreich Lib. I. Cap. IV. §. 4. p. 297. repræsentavit, Titulo hujus Dissertationis, ornatus causa, ex Firmamentis hujus Pacti petita, præfiximus. Textum vero Fuggerianum secuti non sumus, mendosum quippe, et in nonnullis a Cuspiniani recensione et Lambecii repetita prælectione diversum.

## III.

*Tres testes oculati  
de integritate au-  
thenticæ mem-  
brana huius pacti  
adhuc extantis  
in Archivo  
Vindobon.*

Ut nemo amplius dubitare possit, hoc Pactum de simultanea Administratione Imperii à Friderico Austriaco et Ludovico Boico esse genuinum, ac ex Autographo descriptum, audiendi sunt Testes oculati, et omni exceptione majores. Horum primus est Joh. CVSPINIANVS, qui illud in *Austria pag. 638.* hoc Præfamine evulgavit: *Hoc anno MDXXVII. affinis meus, GVILHELMVS PVTSCHIVS, Regis Ferdinandi à Secretis, antiquitatis zelator studiosus,*  
ex

x) GVIL. PVT-  
SCHIVS  
A. 1527.

ex Archivis Principum Austriae vetera Diplomata recognoscens, quorum mihi copiam fecit, reperit, quae patria lingua sic sonant, ut omnis homo intelligat, qualis Domus Austria olim fuerit, in hunc usque diem sic (Deo volente) aucta: quomodo scilicet hic Fridericus et Ludovicus Bavarus Reges effecti Romanorum, simul gubernarint. Attende Lector, et lataberis, si cum sale haec legas. Audiamus alterum testem, auctoritate ipsius DIVI LEOPOLDI M. Augustissimi Imperatoris, suffultum, nimirum PETR. LAMBECIUM, cuius in *addit. I. ad Diar. sacr. Itin. Cell. p. 258.* haec sunt verba: Cum jam absolvissem hoc Additamentum, et, uti caetera omnia scripta mea, clementissima Ipsius S. Caesareae Majestatis censuræ ac limatissimo Ejusdem judicio illud subjecissem, contigit, ut Ea non tantum more solito studiosissime id perlegerit, sed et ipsum istud authenticum Diploma, quo Imperatorum, Friderici Austriaci et Ludovici Bavari, Reconciliatio, et de S. Imperio Romano pari potestate administrando concordia continetur, summa diligentia investigandum curaverit, tam ut Ipsius Imp. Friderici existimatio defenderetur contra eos, qui Illum libertatis recuperandæ causa Imperatorio suo juri ac Titulo renunciassse falso asserunt, quam ut manifestaretur innocentia integerrimi, et de

<sup>2)</sup> PETR. LAM-  
BECIVS  
A. 1666.



*re literaria optime meriti Viri, Joannis Cuspiniani, Imp. Maximiliani I. Historiographi, qui jam memoratum Diploma in sua Descriptione Austriae primus publicavit, ideoque a Joanne Georgio Herwarto, Bavarico olim Cancellario, in Apologia sua pro Imp. Ludovico Bavaro, tanquam falsi et a se conficti Diplomatis editor, commissa fraudis arguitur. Antiquum igitur hoc, nec minus incorruptum, quam genuinum Historiae Austriaco-Bavaricae monumentum, ipsum inquam, illud authenticum Diploma Reconciliationis Imperatorum, Friderici Austriaci et Ludovici Bavari, quod Sacratissimus Gloriosissimusque Imperator noster LEOPOLDVS die decimo septimo Octobris, anni hujus millesimi sexcentissimi sexagesimi sexti, circa horam quintam pomeridianam, propria manu mihi tradere dignatus est, adservatur etiam nunc in Augustissimo Archivo Cæsareo-Vindobonensi, et cuilibet videndi ejus cupido sine ulla tergiversatione monstrabitur. Scriptum illud est in membrana, et appensa habet duo Sigilla cerea unius ejusdem coloris et magnitudinis; in quorum dextro circum imaginem Imp. Ludovici Bavari, Imperatoris ornatu insignibus, et in folio Imperiali sedentis hæc leguntur verba: LVDOWICVS DEI GRATIA ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS;*

*in*

*in sinistro autem circum imaginem Imp. Friderici Pulchri, itidem Imperatoriis ornamentis insigniti, et in solio Imperiali sedentis, hæc: FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS. Quod denique ad ipsum Diplomatis contextum attinet, nulla inter authenticum hoc Diploma manuscriptum et Cuspinianeam editionem impressam est discrepantia, nisi quod obsoleta illa Germanica lingue orthographia, quæ quarto abhinc seculo in usu fuit, secundum recentiorem loquendi scribendique rationem aliquantulum immutata sit; uti patet ex subjuncto fidelissimo Apographo meo, si cum Cuspinianea editione conferatur. Tertium Testem æque gravissimum, et cujus propria inspectione istius Diplomatis Augustalis nitimur, in medium producimus R. P. ANTONIVM STEYERERVVM, Societatis Jesu Presbyterum, qui in Literis Dresdæ iv. Non. Febr. Anni MDCCLXXV, ad Dn. Præsidem hujus Dissertationis humanissime scriptis, hisce verbis insertis Tabularum istarum Archetypum corroboravit: Dum hanc inter utriusque Gentis Scriptores Controversiam omnino illustrem sæpius animo versarem, magno desiderio tenebar Autographa inspi-*

3) R. P. ANT.  
STEYERERVVS  
A. 1725.

*inspiciendi, atque hinc postquam mihi AVG. CÆS. clementia Tabularium Viennense reſeratum fuerat, in ſecundo aut tertio acceſſu ab Ill<sup>mo</sup> ejus Cuſtode, Viro rerum Auſtriacarum peritiſſimo, enixe petii, ut non attento Ordine id Scrinium aperiret, in quo conventionis hujus Autographum aſſervari noſſet, qui et annuit, Productum igitur Inſtrumentum, ut id commode, et quaſi per Otium diutius inſpicerem, ad ejus ades inde delatum eſt. Hic ego non partium, ſed veritatis ſtudio intentus, oculis ac animo ad omnem rigorem, ac criticam ſeveritatem compoſitis, non ſemel, ſed pluries chartam ipſam, ſeu melius membranam, characteres omnes, apices ſingulos, phraſim, notas, Teſtes, Chronologiam, ac Sigilla rigide primum ipſe totus exploravi; dein et Ill<sup>mu</sup>m Cuſtodem oravi, ut ſolus, ac dein mecum monumentum hoc ad criſim revocaret; facta hac diligentia, quam potui, maxima, concluſi, quod et hic aſſero, Literas illas, ut Veterum phraſi utar, non aboſitas, non abraſas, non cancellatas, nulla ſui parte vitiatas, omni prorsus ſuſpicionem carere. Quare et tunc conſtitueram, annuente AVGVSTISSIMO, ubi ſcriptionis ordine Fridericum Pulchrum attigero, monumentum hoc fideli ſcalpro, ut ari incidatur, committere, quo omnes ejus Literæ, earum Figura, ac apices integerrima Fide exhiberentur Orbi Erudito. Membrana ipſa Figuram habet folii majoris, ſeu regalis. Longitudo ejus à ſummo deorſum vergit, non vero à dextra*

*dextra ad sinistram, ut alias passim. Studiose conservata est, et integra, atque hinc character patrius optime legibilis, Sigilla pariter utriusque Principis illasa dependent. Inter sanæ mentis homines ergo locum suum vix tuebuntur, qui dubitare amplius non desinunt ejusmodi Tabulas Augustalis Concordiæ atque Unionis in primigenia scriptura unquam extitisse.*

## IV.

Cum Boici Propugnatores hujus Pactionis Tabulis suum Instrumentum de Resignatione Imperii facta à Friderico pro recuperanda sua libertate ex Archeio Ducali masculine opponant, atque illas ex Austriacis sacris scriptis depromtas, atque à nobis recitatas, sibi que contrarias, pro fictitiis ac supposititiis habeant, ex ordine rerum actarum, et gradibus instauratæ Concordiæ inter illos Imperatores, in diffidiosa Electione A. 1314. proclamatos et inauguratos, manifeste declarandum et ostendendum est, bina iter illos Pacta fuisse composita, quorum illud de Friderici Renuntiatione

II.) ex ordine duorum pactorum inter hos duos Augustos, observato, qui tollit omnem contradictionem inter Austriacos et Boicos Scriptores.

tione Augustæ Dignitatis fuit Tempore prius, alterum vero de assumpto Friderico a Ludovico in Regni Societatem posterius extitit; Quo ordine observato utrique Pacto sua constat Veritas, suus servatur genuinus Honor, et penitus sublata est omnis altercandi materia.

## V.

*Historia prioris  
pacti Transmitti-  
ni A. 1325. d. 13.  
Martij de abdi-  
cato a Friderico  
Imperio.*

Nimirum cum Imperator Ludovicus se cum cogitaret iracundiam Pontificis Romani à se graviter offensi, ejusque in suum caput parata Dirarum Fulmina inevitabilia, adhæc Septemvirorum Imperii, inprimis Ecclesiasticorum, ad nutum Pontificis mutabilem animum dubiamque Fidem, et ante omnia Leopoldi Austriaci enixissimum studium pro Fratre Rege in libertatem vindicando, tanto cum periculo captivitatem Friderici, pro æmulo habiti, ulterius protrahere noluit, sed de eo dimittendo Consilium maturum cœpit, ita tamen, ut ipse solus retineret Dignitatem Imperialem, Fridericus vero eandem ejuraret. Suasore itaque impri-

imprimis CONRADO, *Priore Carthusianorum Ascetarum Monacensium*, quem ad sacras Confessiones sibi elegerat, ipse se in Trausnizianam Custodiam Friderici, sine ullo Strepitu atque Comitatu, protinus contulit, atque illi, adhibitis Arbitris, BERTHOLDO, *Comite Hennenbergico*, et DIETERICO PILLICHDORFERO, *Mareschalco Austria*, tales Pacis Leges obtulit, in quibus omni Juri, si quod ad Fastigium Imperiale habuisset, in perpetuum renunciaret, traditis etiam Electionis Tabulis, et plane dimisso omni ambitu Regni futuro, sine ullo Dolo. Ob summam mentis ægritudinem, Carcerisque diuturnitatem, non aliter finiendam, consensit Fridericus, præsentia insuper inopinata ipsius Ludovici perterritus, in has duras Conditiones Libertatis recuperandæ, de quibus facta et scripta est in *castro TRAVSNICHT* notula, *die Mercurii ante Dominicam, qua cantatur Lætare*, qui fuit Dies XIII. Martii, atque hæc est, quam ex Archivo *Bavarico*, in Latinum sermonem versam, in lucem

cem emisit JOHANNES GEORGIUS HERWARTVS ab Hohenburg, Bavariæ Duci ab intimis Con-  
 Confiliis, Præses Suabæ, et Bavariæ Ordini-  
 num Cancellarius, in Ludovico IV. Imp. defenso  
*contra Bzovium, ad A. 1325. §. 38. pag. 328. Conf.*  
 NIC. BVRGVNDVS in Ludovico IV. Imp. Lib. II. p. 91.  
 et ADLZREITTER *Annal. Boic. Part. II. Lib. I. §. 60. p. 24.*  
 Annum in Literis Reconciliationis prioribus  
 non expressum indicat HAINRICVS, Monachus  
 REBDORFFIENSIS æqualis, in *Annal. ad Ann.*  
 1322. in FREHERI *Tom. I. Script. Rer. Germ. p. 612.*  
*Anno undecimo (scilicet regni, quod iniit Ann. 1314.)*  
*Ludovicus solus, exclusis omnibus Consiliariis suis occul-*  
*te tractavit, et confœderavit se cum predicto Frederico*  
*capto, ita, quod idem Fridericus, renunciaret Juri*  
*Electiois sue, et Ludovico deberet assistere etiam con-*  
*tra Fratres suos, et Juramentum ambo tractatus hu-*  
*jusmodi occultos observare super Sacramento Euchari-*  
*stie, quod ambo eadem hora receperunt, Missa coram*  
*eis celebrata, et sic Fridericum à vinculis dimisit.*  
 Conferantur testimonia aliorum Historico-  
 rum in §. VIII.

## VI.

Hoc improbant  
 Iohannes XXII.  
 P. R. et Leopoldus  
 D. Austria.

Sed FRIDERICVS in Austriam redux,  
 non potuit LEOPOLDVM, Fratrem, cui ini-  
 tio

tio occultaverat Abdicationem Imperii , pro amore libertatis à se factam, vel potius extortam, eo adducere , ut subscriberet, suoque assensu ratam haberet hanc Pactionem, quæ ipsi iniquissima videbatur. Præterea Pontifex Romanus Johannes XXII non vana conjectura sibi persuaserat , illam Pactionem inter alia hunc Articulum quoque continere : *Deberent quoque Fridericus, Ejusque Fratres, cum Rege Ludovico fœdus inire aeternum cum eo et ejus liberis permanendi, et illos juvandi, contra quoscunque, quocunque dictos nomine, Clericos et Laicos, et nominatim contra illum, qui se Papam dicit, omnesque ejus adjutores ac fautores, quamdiu is contra Regem et Regnum esset ;* Hac de causa peculiari Rescripto ad Fridericum dato Avinione A. 1325. d. 4. Maji, omnes illius Pactiones pro summa sua Autoritate hunc in modum rescidit :

FRIDERICO, DVCI AVSTRIAE,  
DUDVM IN REGEM ROMANO-  
RVM ELECTO.

*Ad nostrum Auditum nuper perduxit Relatio fide digna, quod Ludovicus, Dux Bavariæ, te pridem à suo carcere,*



*cere, quo diu mancipatum detinuerat, relaxavit, qua  
 utique Relaxatio, dummodo sit libera, velut à nobis  
 optata diutius est accepta. Sane quia multorum habet  
 opinio, quod in Relaxatione hujusmodi ad multa Deo  
 infesta, tibi que inexpedientia, et Rei periculosa publi-  
 ca, te Promissionibus, Obligationibus, Juramentis,  
 ac Pœnis, et aliis vinculis duxeris adstringendum;  
 Nos super hoc de salubri providere Remedio cupientes,  
 et attendentes, quod ad præmissa metus probabilis, qui  
 in constantem caderet hominem, te potuerit adduxisse;  
 Nec non quod variis enormibus Excessibus, contra  
 Deum, nos, et Romanam Ecclesiam, per eundem Lu-  
 dovicum commissis, suisque gravibus culpis exigenti-  
 bus, dudum diversos processus Excommunicationis ac  
 Privationis Juris, si quod sibi ex Electione, qua de  
 ipso in Regem Romanorum facta fuisse in discordia dice-  
 batur, ad Regnum vel Imperium pertinebat, et alias  
 diversas pœnas et sententias continentes, habere com-  
 pulsi, (urgente conscientia) fuimus contra eum, per  
 quos quidem Processus inter cetera omnibus et singulis,  
 tam Clericis quam Laicis, cujuscunque Præminentie,  
 Status, vel Conditionis existerent, ut nullus eidem  
 Ludovico super his, qua ad Regimen, vel Administra-  
 tionem Regni vel Imperii pertinent, prædictorum, as-  
 sisteret in aliquo, vel pareret, aut præstaret per se vel  
 per alium, publice vel occulte, Consilium, Auxilium,  
 vel Favorem, etiam prætextu cujuscunque Homagii,  
 aut*

aut Colligationis, Confœderationis, Societatis, vel Con-  
ventionis, seu Ligæ contractæ, tunc vel in posterum con-  
trahendæ, etiã si pœnarum adjectione, Literarum vel  
Juramenti, seu cujuslibet alterius essent vinculo Fir-  
mitatis innexæ, Colligationes, Confœderationes, So-  
cietates, et Conventiones hujusmodi dissolvendo, pœ-  
nasque propterea præmissas, et Juramenta præstita, de  
potestatis plenitudine relaxando, duximus expressius  
inhibendum; (Propter quæ patet, promissiones et obli-  
gationes quascunque eidem Ludovico per te factas, et  
Juramenta præstita, pœnasque adjectas super his nul-  
lius Firmitatis existere vel momenti) ea ex officio no-  
stro cassa et irrita, et nulla esse penitus declaramus,  
et quatenus processerunt, de facto cassamus, irrita-  
mus, et omnibus viribus vacuumus, decernentes te ad  
eorum, seu aliquorum ipsorum observantiam non tene-  
ri; Tibique nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ,  
ac sub Excommunicationis pœna, quam te, si contra-  
rium feceris, incurrere volumus ipso facto, districtius  
inhibentes, ne ad ejusdem Ludovici Rebellis et Ex-  
communicati, quoquo modo redire carcerem, aut sibi,  
quamdiu extra Sedis Apostolicæ gratiam fuerit, sicut  
nunc esse dignoscitur, parere in aliquo, vel obedire præ-  
sumas. Datum Avinione IV. Non. Maji Anno IX.

Vid. RAYNALDVS in *Annal. Baron. continuat.*  
*Tom. XV. ad A. 1325. N. 2. pag. 297. Annus IX. Jo-*

hannis XXII. Papæ incidit in annum æræ  
Christianæ MCCCXXV. Nam euectus fuit  
ad Pontificatum Romanum anno Christi  
MCCCXVI. d. VII. Augusti. Lugduni, vid. in  
STEPH. BALVZII *T. I. Vitar. Papparum Avenion.*  
Ejus prima Vita *p. 115.* secunda vita *p. 134.*  
tertia vita *p. 151.* quarta vita *p. 170.* et quinta  
vita *p. 174.* omnes ab autoribus coætaneis  
conscriptæ. Certior deinde factus idem Pon-  
tifex de omnibus Conditionibus Conventio-  
nis inter Fridericum & Ludovicum conscri-  
ptæ, per Leopoldum, Ducem Austriæ, cui  
valde eadem displicuit, aliis literis Avinione  
d. 26. Julii dicti anni scriptis ad Leopoldum  
non solum eam vehementer improbavit,  
verum etiam graviter illum dehortatus est,  
ne accederet Fœderi promisso contra Ro-  
manam Ecclesiam, susciperetque partes  
Ludovici defendendas, et quidem hac  
Formula:

JOAN-

JOANNES etc. LEOPOLDO,  
DVCI AVSTRIÆ.

*Percepimus, quid, juxta relata tibi per Germanum, iis diebus præteritis à carceribus liberatum, inter ipsum et liberantem in ipsa Liberatione fuerit ordinatum, quidque à te, et tuis aliis Fratribus ab ipsis fuerit postulatum, super quo tuam benevolentiam plurimum in Domino cõmendantes, eidem referimus gratiarum uberes actiones. Profecto, Fili, ordinationem ipsorum non indigne reputamus temerariam et insanam, velut de his, quæ ad ipsos non pertinent, attentatam, et quæ in Ecclesiæ Romanæ, Electorum quoque, ac totius Reipublicæ Præjudicium, et Injuriam, si, quod absit, procederet, redundaret. Petitiones autem prædictæ fraudulentæ sunt, per quas sua venantur cõmoda, non sine tuo Fratrumque tuorum tam corporali quam spiritali incommodo evidenti. Per primam quidem satagunt, te Fratresque tuos prædictos suæ subicere ditioni, quorum alter vester est capitalis emulus, quique, si diem illum videre posset, quod avertat Dominus, non posset de vestris Dispendiis variis satiari. Per secundam autem Petitionem à Devotione Dei et Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac nostra, in qua perstitistis viriliter hæctenus, et ut tenemus indubie, persistetis, retrahere vos laborant, et ad Hostis Dei et Ecclesiæ obedientiam inclinare, ejusque vos subdere ditioni. Sane, Fili, quia, sicut*  
nostri

*noſti, Virtuti non minus adſcribitur, quam acquirere, parta ſervare, circumſpectionem tuam providam, et providentiam circumſpectam duximus exhortandam, tibi et nihilominus ſano Conſilio ſuadentes, quatenus Fel et Venenum, quæ ſub Petitionibus hujusmodi latitant, cogitans et recogitans diligenter, ipſas à tuo cures abjicere animo, et contra illas, more ſerpentis, cujus in hac parte prudentia commendatur, aures tui cordis ſtudeas obdurare, ac amicitiam Dei et Eccleſiæ ac noſtram et cunctorum Eccleſiæ Fidelium, quas per Actus tuos fideles et ſtrenuos merito quaſiſti, in ipſis immobiliter perſiſtendo, ſtudeas omni diligentia ſedula obſervare, conſideranter attendens, ſapientis conſilium ſuadentis, ne inimico tuo te credere debeas in æternum, quia ejus nequitia more æruginat æramenti: Sed et ſi humiliatus, curvus incedat, animum tuum ab illo abjice, teque ab illo perinde cuſtodi: Eſt enim qui nequiter humiliat ſe, et interiora ejus plena ſunt dolo. Sed et ſi vocem ſuam ſuſſerit, cave ne credas te illi, quoniam ſeptem nequitias in ſuo, te ut decipiat, corde gerit. Qualem autem ad Fratrem tuum prædictum ante liberationem ejus geſſerimus animum, qualemve, ex quo extitit liberatus, ex oblatiſ per nos tibi et tuiſ Nunciis et Literiſ deſtinatiſ, tuam credimus prudentiam plenius informatam. Quomodo autem tam in liberatione ipſa, quam poſtea noſtram et apoſtolice Sedis gratiam conſervare, ac ampliorem ſtuduerit promoveri,*

veri, quæ gessit in ipsa liberatione ac postea, et quæ gere-  
re et procurare continuo non omittit, hæc arguunt,  
quæ scimus tuam providentiam non latere. In ipsa  
quidem liberatione cum hoste Dei, et persecutore Ec-  
clesiæ execrabili fœdus et amicitiam copulavit, et in-  
super ad contrahendum parentelam cum ipso contra Sta-  
tuta Canonum se adstrinxit. Nec his contentus, te  
Fratresque tuos, quantum in eo fuit à devotione nostra  
subduxit et Ecclesiæ, et illi tuo singulari amulo nos con-  
jungere laboravit, Communitates et Principes ad ejus  
obedientiam verbis et literis nihilominus pertrahendo,  
ipsumque nominando Regem et Dominum suum, et ei-  
dem favendo, et totaliter adharendo, non attendens  
pericula, quæ per Processus nostros incurrunt talia fa-  
cientes. Rursus si diligenter attendens quantum ipsum  
post liberationem repereris varium, ne dicam mendo-  
sum, vide quantum nos et tu de eo confidere, quam-  
diu in his perstiterit, valeamus: Cum indubie suppo-  
namus, quod de iis, quæ inter ipsos acta sunt, nondum  
tibi aperuerint veritatem. Linguas siquidem suas, tam  
Liberatus, quam Liberans, videntur docuisse loqui men-  
dacium, et ut iniqua perpetrent, convenisse. Propterea  
suum fecerunt Conventiculum omnibus suis Necessariis  
pratermissis, contenti solis suis duobus Confessoribus,  
quibus forsan omnia non panderunt. Hoc enim habent  
perversa tractantes proprium, ut lucem odiant, nec ad  
lucem libenter veniant, ne forte sua opera arguantur.

G

Deduc

*Deduc itaque, Fili, quasumus, præmissa omnia in Confistorio rationis, illaque diligenter examina, eorum finem inspiciens; ut paratos tibi laqueos valeas evitare, nec eorum consilia verearis: Speramus enim in Domino, quod ipse illa, velut exosa sibi, merito dissipabit. Persta igitur, Fili, inceptis tam laudabiliter: Nobis enim videtur indubie, quod continue à suo Proposito se elongent, quodque, ut in foveam, quam tibi et aliis Fidelibus paraverunt, incidant, se dissonant, ac honore, quem ambiunt impudenter assumere, carebunt merito, et habitis, si quos habent, reddent, si in cœptis perstiterint, se indignos. Datum Avinione VII. Kalend. Augusti Anno IX. vid. RAYNALDVS l. c. §. 3. pag. 297. Confirmatus itaque Leopoldus in sua sententia tam blanda Epistola Pontificis, maxima tamen gravitate temperata, constanter abhorruit à Confirmatione istius Pacti sibi jam antea exosi, atque in hac Dissensione perseveravit usque ad finem vitæ suæ, quam clausit A. 1326. die 27. Februarii, vid. HISTORIA AUSTRALIS ad A. 1326. in T. I. Freheri p. 489. et ANONYMVS LEOBIENSIS in Chronici Lib. V. ad h. a. in PEZII T. I. Script. Austr. col. 926.*

## VII.

FRIDERICVS et LVDOVICVS, Amici reconciliati, in his angustiis constituti, cum frustra laborassent de Leopoldo in suas partes pertrahendo, eumque commovendo, ut Pacta subscriberet, consilia plane nova ceperunt, ut everterent Pontificis conatus, qui Imperium utrique eripere, et destinare Carolo Pulchro, Regi Francorum, moliebatur. Nimirum jam diu tractatum fuerat inter hunc Regem ac Pontificem, Proceresque Germaniæ, ut, propter dissensiones Ludovici et Friderici in discordia electorum Regum Romanorum, ipse illis substitueretur. Leopoldus quoque, Dux Austriæ, hoc per suos Nuncios egit, ut Ludovico novum æmulum excitaret. *vid. ALBERTVS ARGENT. pag. 123. et VILLANVS Lib. IX. C. 268.* Sed displicuit BALDVINO, *ArchiEpiscopo Trevirensi*, et JOHANNI, *Regi Bohemia, Electoribus*, Studium promovendi exterum Regem ad Fastigium Augustale, *vid. HENR.*

*Historia posterioris pacti Monacensis A. 1315. d. 7. Sept. de Friderici & Ludovici æquali administratione Imperii imposturum instituenda.*



REBDORF. *in annal. p. 612. l. c.* quibus accesserunt alii Principes Germaniæ, faventes potius Friderico, et missis Oratoribus flagitantes à Pontifice, ut Fridericum, Regem Romanorum declararet. Mentem Pontificis ad hanc petitionem eorum nobis declarat Responsio ejusdem ad Johannem, Episcopum Argentinensem, d. d. iv. Sept. A. 1325. hujus tenoris:

JOANNES etc. JOANNI, EPISCOPO  
ARGENTINENSI.

*Sane, Frater, mirati fuimus admodum, quod Nuncii prædicti Electionem de magnifico Viro, Friderico, Duce Austriæ, in Regem Romanorum dudum discorditer celebratam Decreto Electionis non oblato, nec data Informatione alia super ea coram nobis petierunt infra brevis temporis spatium confirmari. Et ut Responsionem, quam super propositis hujusmodi fecimus, non ignores, ecce, quod tam ipsis Nunciis verbo, quam dilecto Filio, nobili Viro, Alberto, Duci Austriæ, Literis taliter duximus respondendum, videlicet quod super isto negotio parati sumus promte et expedite, cum Fratrum nostrorum consilio, sicut et requirit negotii*

-qua-

qualitas, *Justitiam exhibere, et adhuc graciose et favorabiliter, quantum sine Dei offensa, suaeque sanctae Ecclesiae praedicio, ac injuria Principum, ad quos Electio Regis Romanorum, promovendi in Imperatorem pertinere noscitur, poterit fieri, cum hoc opportune postulatum fuerit, nos habere.* Datum Avinione II. Non. Septembris Anno IX. Vid. RAYNALDVS l. c. §. 5. p. 298. Noluit tamen Fridericus, offensam etiam metuens Ludovici, in simulata Pontificis Benevolentia, quam ex abolitione transactionis Trausnizianae jam cognoverat, spem novam collocare, ac Ludovicus, veritus, ne conspiratione Pontificis atque à se alienatorum Principum, Imperium tandem vel dimisso ex custodia Friderico addiceretur, vel nova Electione indicta, ad Regem Franciae, Carolum, transferretur, maluit potius in nova Pacta cum Friderico de Communione Imperii, inter utrumque imposterum instituenta, descendere, atque hac Societate securitati utriusque consulere, quam concedere, ut vel Fridericus, vel Carolus, Rex Gallorum, se excluso, omnibusque Praesidiis destituto, ex Auctori-

toritate Pontificis, sibi tam maxime infensi, Summa Rerum in Regno Germaniæ et Imperio Romano potiretur. Atque hæc sunt nova illa et tempore posteriora Pacta, abolitibus prioribus die XIII. Martii hujus anni Trausnizii conscriptis, die VII. Septembris Monachii sancita, quæ evulgarunt CVSPINIANVS, FVGGERS, et LAMBE CIVS, et quæ Boici Scriptores plane rejecerunt, non attendentes ad rerum gestarum seriem à nobis hæctenus secundum optima monumenta expositam.

## VIII.

III) ex Suffragiis  
Historicorum.  
1) Coævorum.

Fortissime urgent Scriptores Boici silentium Scriptorum coævorum de tam memorabili Consortio Imperii inter FRIDERICVM et LVDOVICVM, Cæsares reconciliatos, instituto, sed neque hic nobis defunt eorum suffragia. Provocamus itaque *primò* ad PETRVM, Abbatem synchronum, cujus hæc sunt verba, in *Chronica Aule Regiæ*, c. 15. p. 48. ad A. 1325. in *Freheri Script. rer. Bohem.* p. 48.  
Ludo-

a) Petri Abbatis  
aule regiæ.

*Ludovicus, Romanorum Rex, Bavariae Dux, cernens, quod contra se frequenter gravarentur Papales Processus, et Sententia, patiensque defectum pecuniae, coepit inter se cum paucis de liberatione Friderici, sui captivi et adversarii, cogitare. Igitur in Festo B. Georgii idem Ludovicus ad Fridericum in Castro Captivitatis, quod Truysnicht, id est: inopinabile, dicitur, inopinabiliter venit, et nescio quibus modis, quibus formis, seu quibus tractatibus intervenientibus, cunctis admirantibus, ipse Fridericus, qui usque ad tertium annum captus fuerat, est à vinculis absolutus. Non fuerunt aliquae munitiones in signum foederis, et amicitiae Ludovico datae, nec super hac concordia Litterae sunt publicatae. Simul usque hodie hi duo Principes, qui se nominant Reges, comedunt, bibunt, et simul dormiunt, et in verbis pacificis unum sunt, matrimonium satis inconsuetum hi inter suos Pueros statuerunt; duxit enim Filius Ludovici Filiam Friderici, licet hi pueri sint in tertia Consanguinitatis Linea constituti. Est autem hoc admirabile in auribus omnium Populorum, quod uterque usque hodie Regem scribit se et nominat Romanorum.*

Succedit non minus aequalis, quippe An.  
1364. florens, quam gravis Scriptor, JOH. VIL<sup>b</sup>) Villant.  
LANVS in Chronica Lib. IX. C. 314. in Muratorii  
Tom. XIII. Script. Rer. Italic. p. 582. qui magis  
distin-

distincte compositionem inter Fridericum et Ludovicum ita exponit: *Nel detto Anno 1325. del Mese d'Ottobre, all'uscita, il Duca di Baviera, eletto Rè de' Romani deliberò di sua pregione Federigo, Duca d'Osterich, perchè era altresì eletto Rè de' Romani, et fece pace con lui, e promesseli di rinunziare sua elettione, et di darli le sue bocci. Poi furano a parlamento all'ottava anzi Natale, et non furono in accordo, peroche Luppoldo Fratello di Federigo, Duca d'Osterich, non voleva che'l suo Fratello rinunciasse, et poi furono a un'altro parlamento et furono in accordo, che quello di Baviera dovesse passare in Italia, e l'Duca Luppoldo d'Osterich con lui insieme, et per suo generale Vicario, e Federigo Duca d'Osterich rimanesse Rè in Allemagna, e questo si promisero per lettere e suggelli. Li Elettori della magna a petizione del Papa e del Rè di Francia contradissero, opponendo, che l'uno et l'altro haveano perdutta la Elettione, pero che a loro non era lecito di ragione, che l'uno potesse dare boce all'altro, sanza far per li Elettori nuova Elettione.*

Adjungimus *tertium* non minus contemporaneum et disertum Testem, ALBERTINVM MVSSATVM, An. 1330. mortuum, qui in Ludovico Bavaro c. 2. in Muratorii *Script. Rer. Ital.* T. X.

c) *Albert. Mus-*  
*sati.*

T. X. col. 769. hæc affirmat: *Similiter duorum Cæsarum Germanorum omiserimus grandes Actus in discordia electorum, Friderici scilicet, olim Rodulfi Austriensis Ducis, et Romanorum Regis nati, et Ludovici Bavariæ Ducis, eorumque terribiles congressus, cum Captura Friderici et ejusdem Austriæ Ducis, ejusque pacifica Relaxatione mirabili et incredita, et eorum Regum seu Ducum Associatione Fraternali.*

Utinam vero editi essent ANNALES FVR-<sup>d)</sup> *Annaliste Fürstfeldens.*  
STENFELDENSES, afferentes æquatum Imperii Jus inter Ludovicum et Fridericum, quos erroris hanc ob causam arguit illustris ADLZREITERVS *Part. II. Lib. I. §. 61. p. 25. Annal. Boic.* ut etiam domestico Testimonio Conditoris Annalium Cœnobii Boici uti in nostram rem queamus.

Loco ejus sistimus MATTHÆVM HAGE-<sup>e)</sup> *Matthæo Hageni.*  
NVM, Civem Viennensem, tempore Alberti III. Ducis Austriæ, qui ab A. 1365. usque ad A. 1395. vixit, et Chronicon Austriæ consignavit, in quo hæc annotavit, in Pezii *Tom. I. Scriptor. Austriac. p. 1141.* *Bey denselben Zeiten zoch der Edell Fürst Chunig Fridreich gen Bayern mit grossen*  
H                                  sen

sen Volckh / und vnczelleichen Here / Herrn / der Ritter / und Chnechte wider Ludweigen / der do vor ist benennet : vnd an Sand Michaels abent wart vor Muldorff von In ain Beldstreit gestritten. Vnd Chünig Fridreich hett zum ersten den Sig / uncz daz dern von Nürnberg cham ; damit behub der von Bayern den streitt / und ving da Chünig Fridreichen den Erwelten / und Herzog Hainreichen seinen Bruder. Darnach über etwie lang zeit wurden sie mit einander verrichttet / in sollichen weiz / daz Herzog Ludweig von Bayern soltt in Welischen und in Römischen Landen beleiben / und daz Reich do besetzen : auch Chünig Fridreich soll Chünig sein in allen dewtschen Landen.

2) et Supparium.

a) Viti Arenpeckii.

His succenturiantur Scriptores suppares, et quidem VITVS ARENPECK, Prior Eberspergensis Cœnobii, florens Anno 1456. qui hæc nobis recitavit in *Chronico Austriaco ad An. 1322.* in Pezii *Tom. I. Scriptor. Austr. p. 1241.* Sape dictus Dux Fridericus fuit sine omni exactione Libertati suæ donatus; nulla autem (ut communiter narratur) super Regni Romani abrenuntiatione, aut super promissa Fidei cautione ab ipso recepta, nullaque confirmatione.

b) Thomæ Ebendorferi de Haselbach.

Juvat etiam citare THOMAM EBENDORFERVM de HASELBACH, Canonicum et Profes-

fessorem Viennensem A. 1464. mortuum, qui in *Chronic. Auftr. Lib. III. p. 788.* in *Pezii Tom. II. Script. Auftr.* hæc annotavit: *Fertur etiam in Partibus intercidisse, ut uterque Regali Titulo, quoad in humanis degerent, in Alemannia uti possent suis in epigrammatibus pro futuro.*

Majora Præsidia Causæ nostræ ex Historicis illius ævi proferre non possumus, freti eadem ratione, quam RAYNALDVS adduxit, *l. c. ad A. 1314. §. 17. p. 137. Rei autem gesta Narratio vera vix ab Historicis peti potest, cum ea Scriptis tradiderint, quæ communi hominum Fama, in locis, in quibus versabantur, pervulgata erant, ut sentiebant cum hoc vel altero æmulo, indeque non minus dictis inter sese, quam armis aduersi Principes, pugnarint.*

## IX.

Sit ergo nobis Testis omni exceptione major ipse Pontifex Romanus, JOHANNES XXII. qui in *Epistola ad CAROLVM, Regem Francorum,* scripta, diserte testatus est, sibi pactum Consortium Cæsareæ Majestatis Ludovicum inter et Fridericum, posita omni æmulatione diuturniore, innotuisse. Hanc ob causam hunc Regem

iv) Ex testimonio  
JOHANNIS  
XXII.  
Pontificis R.



gem vehementer stimulat, ut, excusso omni languore in consequendo Imperio, omni potius animi contentione anniteretur, ut Voti sui compos fieret, Dignitatemque Imperatoris Romani adipisceretur. Illa Epistola ita se habet:

**CAROLO, REGI FRANCORVM  
ILLVSTRI.**

*Diligenter percepimus, quæ continebant Literæ Regiæ, et transcriptum Literæ de Alamannia Excellentia Regiæ destinatæ: Et antequam nobis fuissent presentata per dicta illius, qui de Alamannia prædicta scripserat, Literas receperamus, et non tantum eadem quoad Familiaritatem et amicitiam illorum Ducum incredibilem, continentibus adhuc Fide dignorum receperamus Literas, quod dictorum Ducum ad hoc intentio ferebatur, quod Liberatus deberet remanere in Alamannia, sub titulo Regio, et illud ab ipso recognoscere Liberante, Liberans autem sub Imperiali Titulo deberet ad partes Italiae se transferre, vel si Liberanti esset acceptius, Liberatus pro eo deberet ad partes Italiae proficisci: Creditur tamen, quod spretis periculis Liberans eligat Italiae visitare. Profecto, Fili charissime, si Conceptus isti, quod absit, producerentur ad partum,*

*multa*

*multa possent pericula et utique ampliora, quam considerari valeant, provenire. Ideoque Providentia Regia, Tepiditate deposita, curet super hoc vigilare: Res enim, sicut adhuc sunt disposita, ut regium possit ut prius Desiderium adimpleri, quod forsitan non poterit, si Prædicti possint suum Propositum stabilire. Tepiditas Regia multum Negotio obsuit, quia et nos reddit, et reddidit tepidos et morosos. Literam illam, per quam de Regio Thesaurò nil emittitur, tenuit magnificentia Regia jam fere per annum, licet sæpius Spes data fuerit transmittendi. Excutiat Circumspectio Regia, quæso, hunc torporem, et operetur, si ad hoc intendat, dum dies est. Nox enim supervenire poterit, in qua non poterit operari. Solicitatur, sicut intimatum est nobis de illis partibus, qui Regali Excellentie insinuarunt prædicta, ut nostram Liberanti debeat gratiam impetrare: Quod si non posset fieri, se cum illo velit conjungere, et de Imperio recipere quidquid volet. Scribenti rescripsimus, prout vidimus expedire. Ex multis, quæ audivimus, credimus, quod nondum Liberatus de modo Liberationis et factis in ea Promissionibus, suis Fratribus exposuerit Veritatem. &c. Datum Avinione III. Kalend. Augusti, Anno IX. Vid. RAYNALDVS l. c. §. 25. p. 298. Ex hac epistola cognoscimus, FRIDERICVM, Aug. pro Ludovico, in gratiam secum reducto, deprecato-*

torem egisse apud Pontificem Rom. cum hac animi et consilii declaratione, quod si indignaretur ille hunc in gratiam recipere, ob irritam hanc petitionem, ab illis decretam esse communem administrationem Imperii. Cum vero Ludovico valde infestus Pontifex denegasset ei veniam, sine ulla mora de conventionis novæ capitibus pro suscipienda invicem Augusta dignitate Fridericus et Ludovicus consilia inter se communicarunt, quorum primas lineas ductas per exploratores suos Pontifex statim rescivit.

## X.

V.) *Ex negotiis Imperialibus a Friderico Aug. vel a se, vel cum Ludovico Aug. actis.*

In hac Controversia intricatissima omnibus aliis argumentis præponderant Acta Imperialia à FRIDERICO, Augusto, post instauratam amicitiam et pacem stabilitam, vel à se, vel cum Ludovico Bavaro simul gesta, quæ clare testantur eum Collegam Imperii fuisse. Hæc à nobis eò magis fuerunt investiga-

11310)

ε Η

stiga-

stigata, et conquisita, quo minus alii oculos in illa converterunt, vel potius, quo minus de iis vel cogitarunt. Sunt tamen non pauca, et procul dubio Lectores benevoli nostro studio excitati, longe plura explorabunt et manifestabunt, quæ Accessiones ad Gloriam perpetuam FRIDERICI COIMPERATORIS præcipue pertinentes, nobis erunt gratissimæ, quippe qui solo Veritatis amore ducti, hanc arenam disputatoriam ingressi sumus. Ad hæc refero inprimis Mandatum ipsius Imperatoris Ludovici ad Expeditionem Italicam à Friderico suscipiendam, et transcripto ipsi Romano Imperio, sibi vero reservato Regno Germaniæ, quod publicavit CVSPINIANVS in *Austria. p. 640.*

VER.

TEX.

## TEXTVS AVTHENTICVS.

*huc spectat*  
 r) Mandatum  
 Ludovici Aug.  
 datum Imp.  
 Friderico ad ex-  
 peditionem  
 Italic.  
 de A. 1326.

**W**IR Ludwig von Gottes Gnaden Römischer  
 Chünig / allezeit merer des Reichs / veriehe  
 vnd thun khundt alle den die disenn Breiff sehend  
 oder hörend lesen / das wir durch gemainen frid der  
 Christenhait / vnß des bedacht haben / das wir mit  
 guetlichē willen / vn̄ mit freiem mut / vnserm lieben /  
 Chöm vnd bruder Chünig Friderich von Rom / entwei-  
 chē wollen an dem Chünigreich von Rom / vn̄ alles das  
 darzu thun / mit mund oder mit breiffen / dero er not-  
 turfftig ist / vn̄ im nutz vn̄ fürderlich mag sein zu dē Reich /  
 on alle geverde / also beschaidenlich / als ob er vō dē  
 Papst bestättiget wurd an dē Römigreich / es sei mit  
 der Fürsten willen / oder on iren willē. Vnd geloben  
 diß zethun bei gutten trewen / on alles geuerde. Vnd  
 des zu ainem offen vrkhund / henekhē wir vnser  
 Chüniglich insigel an diesen brieff / der ward geben zu  
 Blm / do man zalt von Gottes geburt dreyzeh-  
 n hundert jar / vn̄ in dem xxvj jar an dem Erichtag /  
 nach dem zwelfften tag / in dem zwelfftē jar vnser  
 Reichs.

ZET

VER.

VERSIO LATINA  
HERWARTI.

**N**Os Ludovicus, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, fatemur et notum facimus omnibus, qui has literas vident, vel audiunt legi, quod propter communem Christianitatis pacem, bona mente et libera voluntate, nostro charo Consanguineo et Fratri, Regi Friderico à Roma, decrevimus cedere Regno Romano, et ad hoc omnia agere verbis aut literis, ei ad Imperium necessariis, utilibus et conducibilibus, sine omni fraude, perinde ac si à Papa confirmaretur in Regno, sive cum Principum Voluntate, sive sine eorum Voluntate. Et spondemus hoc nos facturos bona fide, sine omni fraude et dolo, et in hujus rei publicum Testimonium appendimus nostrum Regium Sigillum his Literis, quæ dabantur Ulmæ, Anno à Dei Nativitate MCCCXXVI, die martis, post duodecimum Diem, duodecimo Anno Regni nostri. DIEM DVO-DECIMUM, quo datum est hoc Mandatum, esse duodecimum a sacro die natalitio CHRISTI, Servatoris, sive Diem VI. Januarii, erudite ostendit Cl. HALTAVSIUS in Calendario medii ævi p. 38.

I

Ut

Ut ingenue agamus, communicamus cum Lectoribus nostris Monitum R. P. STEYERER, Patroni nostri colendissimi, quod in Literis supra adductis legitur: *Secunda pactiois producta à Cuspiniano Authographum non vidi, apographum reperi Viennæ in Bibliotheca Cesarea. Lambecius, ejus Praefectus, manu sua haec adjecit: Das Original dieses Brieffes ist in Carteuser Kloster zu Maurbach/und habe ich diese Copiam empfangen von Pater Leopold. a. 1670. d. 4. Junii. Ubi notandum Cœnobium hoc à Friderico pulchro fundatum plura conservasse documenta historię utilissima, et Leopoldum, cognomento Prenner, ibidem Ascetam fuisse Historię studiosum, cujus specimen MS. in eadem Bibliotheca Cas. asservatur. Quem Scrupulum in hoc Diplomate invenit et urget illustris Hervvartus, infra attingemus et removebimus.*

## XI.

2) Imp. Friderici  
Confirmatio pri-  
vilegiorum ab  
Imp. Ludovico  
Bertholdo  
Comiti Henneb.  
concessorum,  
A. 1326.)

Alterum specimen participati à FRIDERICO Aug. Imperii est sequens Diploma Hennebergicum, quo Privilegia Bertholdo, Comiti Hennebergico, à Ludovico Bavaro concessa,

cessa, in amplissima forma confirmat FRIDERICVS *Austriacus, Imperator*, quod sane auro omni longe carius, et ad hanc Controversiam decidendam solum sufficiens nobis videtur; Plane enim ad formulam transactionis Augustalis ultimæ conscriptum:

§§§ Friderich / von Gottes gnaden Römischer

*Fridericus D. G.  
Rex Romanorum*

Chünig / zu allen zeiten ein Merer des Riche /

bekenne öffentlichen an disem Breife / daß wir mit guten willen und von gnaden und auch durch liebe / die wir zu

dem Edelen Manne / Grafen Bertolden von Sen-

*Comiti Bertholdo  
de Hemeberg  
confirmat genera-  
tim omnia privilegia  
suorum Antecessorum*

neberg / unserm lieben getreuen / haben / und förderist

durch den dienst / den er vormahls dem Riche hat gethan /

und noch thun mag / gelobet haben / und geloben an die-

sem gegenwärtigem brieife zu bestättigen alle brieife und

*Specialim Ludovici  
Imp. fratris  
sui.*

handvesten von worte zu worte also sie geschriben stent

von unsern rechten gewissen swenne sie für unser gesichte

*1) de M. Mar-  
cis ex Schwvin-  
jurto.*

chumen und bracht werden / die er von Chünigen und

von Kaysern hat / die vor uns gewest sin / und bey

Nahmen die Brieife die im Chünig Ludewig unser

Bruder hat gegeben mit Unterschied / des er uff der

Stadt zu Schwinsurte / an daß er vor daruff hat tau-

send



2) de censu Imperii Lubeca ad dies vita.

3) de feudis omnibus.

4) de immunitate suorum subditorum a iudiciis extraneis.

excepto iudicio aulico Cesarum.

5) de prohibitione filii Henrici in hereditate vivo adhuc patre inwadenda.

Datum  
A. 1326.

send March Silbers soll haben / darnach die gulte die das Riche uf der Stadt zu Lubecke solte haben / das er die zu sinem Liebe soll haben / und die wile / das er lebet. Dazu sollen wir im bestättigen die briefe über alle seine Lehen von Besten zu Besten / die im unser vorge nanter Bruder Chünig Ludewig hat gegeben / und sullen im auch bestettigen die Briefe das Niemand der keinen seinen man soll noch mag uf der kein gericht laden / er habe in vorerst vor dem vorge nannten Grafen Bertholde von Henneberg beklaget / und wer denne das er nicht rechtes Hülffe / so soll man sie mügen anderswa beklagen denne vor uns oder vor unsern Hovrichter. Wir wollen auch und geloben ob sich sin Sun Grafe Hainerich unser Schwager mit im wollte zweyen / oder in an sinen gute / an sinen lande / an sinen leuten oder an siner herrschafft bey lebendigem sinem Liebe wollte dringen / des Gott nicht welle / des sullen wir im nicht gesten noch geständig sin / und schirmen vor dem vorge nanntem Heinriche sinem Sune / unserm Schwager / mit hülffe / mit rate / mit liebe und mit gute also verre / also es uns geweren und gelangen mag. Das diese vorgeschrieben durch stete und unverbrochen bleiben / darüber so geben wir im diesem Brife versigelt mit unserem Chüniklichen Insiegel der ist gegeben nach Christes Geburte dreutzehen hundert Jahr / darnach in dem sechs und zwenzigstem Jahr /

Jahr / an dem nächsten Mittwoch nach dem Oberis-  
sten tage / in dem zwölfften Jahre unsers Reiches.



Vorstehende Copia concordirt mit dem im allhiefigem  
Gemeinschafft. Henneberg. Archiv befindlichen  
Original per omnia, quod testatur

Heinrich Paul Hönn /  
Gemeinschafft. Henneberg. Archivarius. mppia.  
I 3 Ad

Ad hanc panchartam Regiam digitum intendit consultissimus HOENNIVS *in Chronici Coburgici lib. II. ad A. 1326. p. 51.* qui eam postea transmisit ad Illustrissimum et Excellentissimum Dominum, IOANNEM WILHELMVM S. R. I. COMITEM de WVRMBRAND, SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS Camerarium, Consiliarium Sanctiorem, et Consilii Aulici Imperialis Præsidentem Splendidissimum, Mecænatem nostrum optimum maximumque, qui eam nobis benignissime concessit. Si vero instare velint Adversarii Friderici Austriaci, Augusti, ut illis etiam producat<sup>r</sup> Privilegium Imperatoris Ludovici IV., cuius mentio in præmissa Confirmatione Friderici est facta, huic etiam eorum Desiderio satisfacimus sequenti Privilegio Imperatoris Ludovici ex eodem Archivo depromto :

Privilegium Imp.  
Ludovici ab Imp.  
Friderico con-  
firmatum.

Ludovicus D. G.  
Rex Romanor.

Ludovicus, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, Universis sacri Romani Imperii fidelibus presentes Literas inspecturis gratiam suam et omne bonum. Digna Consideratio laudabilium meritorum spectat

BA

e l

*ſpectabilis Viri, Bertoldi, Comitis de Henneberg, Conſiliarii et fidelis noſtri dilecti, pro quibus perſona ſua merito meruit honorari, nec non plurium obſequiorum inſpectio, quæ idem nobis et imperio fideliter et conſtanter impendit hæcenus, et impendere poterit in futurum, Regalem inducunt Excellentiam, ad promovendum ea frequentius, quæ ſibi et ſuis commodum afferunt et honorem. Imprimis itaque Comitis Supplicationibus favorabiliter inclinati hanc ſibi et ſuis Heredibus gratiam ſpecialem de Regia Potæſtatis Plenitudine duximus faciendam. Quod ſi quis Actionem aliquam adverſus Homines ſuos, cujuſcunque Status vel Conditionis ſuper quacunque cauſa civili vel criminali habuerit, illam coram ipſo Comite vel ſuis Heredibus et nullo alio Judice primitus proſequatur, illique reddatur per eum et eos de hominibus ejusdem juxta juris exigentiam, juſtitia Complementum. Quod ſi idem Comes aut heredes ſui in reddenda Juſtitia querelanti ſeu querelantibus coram eo vel eis negligentæ fuerint vel remiſſi, volumus ut ex tunc ipſi homines Comitis memorati vel heredum ſuorum, qui ſic tracti ſunt in Cauſam, coram nobis, ſeu Judice Curie noſtræ nec alibi conveniantur, et ibidem recipiatur à partibus hinc inde, quod dictaverit Ordo Juris. Si quis autem aliquem vel aliquos ex hominibus Comitis vel Heredum ſuorum prædictorum contra hujusmodi gratiæ noſtræ tenorem coram alieno Judice vexare vel quomodolibet*

Bertoldo C.  
 de Henneberg  
 Conſiliario ſuo.

Facit gratiam.

De actionibus  
 civil. & criminal.  
 adverſus ſuos  
 coram ipſo ſuiſque  
 heredibus  
 inſtituendis.

In neglecta juſtitia  
 vero coram Ju-  
 dice Curie  
 Imperialis.

Sanctio pænalis.

con-

*convenire praesumeret, is nostram indignationem sentiat incurrisse, et nihilominus omnes Processus et Sententias contra dictos Homines latos seu latas nullam habere decernimus roboris firmitatem, nec ipsis in Jure suo nocimentum afferant vel praedictum aliquod valeant generare. In cujus rei Testimonium praesentes Literas Majestatis nostro Sigillo jussimus communiri.*

Datum Monaci  
A. 1315.

*Dat. Monaci V. Id. Julii Anno Dni Millesimo trecent. quinto decimo, Regni vero nostri Anno primo.*

Vorstehende Copia concordirt mit dem im allhiefigem  
Gemeinschaftl. Hennebergi. Archiv befindlichen  
Original per omnia, quod testatur

Heinrich Paul Hönn/

Gemeinschaftl. Henneberg. Archivarius. mppria.

Summum Scepticismum Diplomaticum proderet, quem non moveret Autoritas horum Documentorum in hoc argumento.

## XII.

*Tertio* constat Imperialis Majestas communicata cum FRIDERICO, ex Charta Donationis, qua fratribus suis aperta Imperii feuda in Burgonia adscripsit, quam nobis suggerit

3) Donatio Imp.  
Friderici feudo-  
rum apertorum  
in Burgonia  
de A. 1326.  
facta suis Fratri-  
bus, Ducibus  
Austr.

rit illustris DN. de LVDWIG in T. IV. Reliqu.  
MSt. Lib. VI. in Diplomatario miscello N. 17. p. 274.

FRIDERICVS, *Dei gratia, Romanorum Rex* Fridericus Rom. Rex  
*semper Augustus, Universis sacri Romani Imperii fide-*  
*libus, ad quos presente, pervenerint, gratiam suam et*  
*omne bonum. Serenitatis Regiæ munificentiam semper*  
*debet eos uberioribus gratia et beneficiis sublevare et*  
*persequi, quos ad sui Status exaltationem et Obsequia*  
*reperit promptiores. Nos idcirco, cum illustres Lupoldus,* Fratribus suis Lupoldo, Alberto, Henrico et Ottoni, Ducibus Austria  
*Albertus, Henricus et Otto, Duces Austria et Styria,*  
*Principes et Fratres nostri charissimi, ad nostri exalta-*  
*tionem et conservationem Sacri Romani Regni, dum* pro opera in con-  
*esset in periculoso constitutum anfractu, totis suis Volun-* servatione regni Romani ipsi prestita  
*tate et opere indefinenter et imperterriti præ cæteris la-*  
*borarint, eis de Fratribus nostris eorumque Hæredibus*  
*Castra, Munitiones, Oppida et villas, ac Jura Patro-* concedit bona Imperii in Burgonia vacantia.  
*natus Ecclesiarum, quæ ipsis insunt, ac alia omnia bona*  
*quocunque nomine censeantur, cum universis suis per-*  
*tinentiis, Juribus, Consuetudinibus et Obventioni-*  
*bus, quibuscunque nobis et Imperio ex morte felicitatis me-*  
*morie Hartmanni per Fratrem suum Eberhardum per-*  
*petrato in Burgonia, quod vulgariter Burgunden nun-*  
*cupatur, vacantia, pro aliquali relevationis Consolatione*  
*et Laborum recompensa libere in feudum conferimus,*  
*de Regiæ Plenitudine Potestatis ipsos ad eorundem bo-*  
*norum omnium Possessionem Tenore presentium ex certa*  

K

Scien-

*Scientia autoritateque regia inducentes, promittendo insuper ipsis, si qua deinceps bona ibidem sententialiter et ex Autoritate legitima vacaverint, quod ipsos de eisdem infendare, possessionem eorundem inducere, ac inductos defendere debeamus. In quorum omnium Testimonium Sigillum nostrum regale presentibus est appensum. Datum in Selisa 4. Idus Feb. A. D. 1326. Regni vero nostri anno 12.*

Datum A. 1326.

Imp. FRIDERICVS ergo diserte testatur, se fratrum suorum fidele studium, maximamque operam pro conservando sibi Imperio Romano luculentis feudis Imperii illis indulgentis compensare et remunerare. Si ipsi non conservata fuisset Imperialis Majestas, neque causam, neque potestatem habuisset remunerandi ex bonis Imperii hæc fortissima auxilia. Ad hoc diploma respexit WOLFG. LAZIVS Commentarior. Genealog. Austriac. Lib. II. p. 219. inquit: *Fridericus mox post liberationem suam, cum prius ditiones Austrie aliquo ceu munere locupletans Burgovienfi Marchionatu auxisset, de tumultu suo postremo circumspexit.*

XIII. Com.

## XIII.

Communem administrationem Imperii à FRIDERICO nostro susceptam aperte docet etiam concessum æquale Jus Civitatis Offenburgi, in gratiam Johannis, Episcopi Argentoratensis, ditionis suæ Oppido Oberkirchæ, Diplomate scripto, quod subministratum à Cl. WENCKERO in *Continuatione Disquisitionis de Usburgeris* N<sup>o</sup> 2. pag. 41. hic repetimus:

<sup>1)</sup> Privilegium  
Imp. Friderice  
dat. Johanni  
Ep. Argentorat.  
tensi pro oppido  
Oberkirchæ  
A. 1326.

Wir Friderich von Gottes Gnaden Römischer  
Künig allezeit ein merer des Riche. Tun kunt mit die-  
sem brieffe / allen den die in anesehent / lesent / oder  
hörent lesen / daß wir angesehen haben die manigvaltige  
trewe / und die lieben nutzen dienste die der Erwürdige  
Bischoff Johans von Strossburg / unser lieber Fürst  
und Canzeler / uns und dem Riche nutz her geton hat /  
und erzögt / und noch allezeit wol getun mag / und han  
Ime darum die sunder gnade geton. Und tun öch mit  
disem brieffe / das sin stat zu Oberkirche und auch die  
burger alle die Rechte / Freyheit und Gewohnheit  
und auch gegen dem lande / als unser stat / und unser  
burger

FRIDERICVS  
Rex Rom.

In gratiam  
Johannis Episcopi  
Argentorat. sui  
Cancellarii.

Ejus Oppido  
Oberkirchen  
hujusque civitatis



*Concedit omnia  
jura et immuni-  
tates civilis  
Offenburgi.*

*Datum Offenburgi  
A. 1326.*

burger zu Offenburch hant / von uns / und von unsern  
vordern Romischen Keysern und Königen. Und des zu  
einem offen und woren Urkunde / geben wir der vorge-  
nant stat und den burgern zu Oberkirche diesen brieff  
versigelt mit unserm Kunglichen Ingesygel / der brieff  
ist geben zu Offenburch an den heylgen Pfingstage Obent/  
do man zalte von Cristus geburt / 1326. Jore in dem  
zwölfften Jore unseris Ruchs.

## XIV.

*Imp. Friderici  
Confirmatio  
omnium privile-  
giorum Erfurten-  
sum de A. 1326.*

Inter Monumenta Imperialia Friderici  
Austriaci referenda est præterea Confirmatio  
Privilegiorum Erfurtensum, quæ citatur hac  
Forma in Scripto publico sequentis Tituli:  
Ohnungängl. und beständigster Gegenbericht / auf den  
bey isiger zu Osnabrück und Münster noch währenden  
höchstansehnlichen Versammlung im Namen des Hochlöbl.  
Ertz-Stiffts Maynz / wieder die Stadt Erfurdt über-  
reicheten summarischen Bericht. Erfurdt 1646.  
in fol. ibi in subjectis Monumentis, ad quæ  
Civitas provocavit, leguntur hæc Verba  
in pag 15. post N. XX. et Adolphi Imperatoris  
Confirmationem Privilegiorum de A. 1295.

*Hanc*

*Hanc Privilegiorum Erfurtensium Confirmationem alia duntaxat Forma Verborum continuarunt subsequentes Imperatores :*

ALBERTVS AVSTRIACVS.

*Anno 1304. 17. Cal. Febr.*

HENRICVS LVZELBVRGENSIS VII.

*Anno 1309. 4. Non. Febr.*

FRIDERICVS REX ROM.

*Anno 1326. 4. Id. Octob.*

LVDOVICVS BAVARVS.

*Anno 1330. Dominica Inuocavit.*

XV.

Nunquam fatis laudandus R. P. STEYERERS nobis denique hunc Actum Potestatis Cæsareæ Friderici Austriaci benevole indicavit in Literis supra citatis, hisce verbis : *Petis tandem, num Testimonium aliquod supersit de Negotiis Imperii Cæsarea Autoritate peractis à Friderico Libertati restituto? Unum in Tabulario Cæsareo Vienna assertuari comprobat ejus Index integerrima, ut comperi ipse, conscriptus fide ante CLXXX. Annos, ubi Diplomatis Epitome his verbis exhibetur :*

*6) Arbitri Imp. Fridericus et Ludovicus in controversia Henrici D. Carinthie et Canis Scaligeri Dni. Verone de Vicariatu Patavii A. 1328.*

K 3

Keyser

Keyser Ludwig / und Fridrich Herzog von Oesterreich /  
versprachen Herzog Heinrich von Kärnten auff das  
Compromiss zwischen ihm / und dem Hund von der  
Laitter (Canis à Scala) fürderlich außzusprechen / und  
und Herzog Heinrich bey des Reichspfleg zu Padua zu  
behalten. datum München unter ihrer beyder König-  
lichen anhangenden insiglen. 4. Sept. 1328. *Hinc lu-  
men suppetit ad intelligendum ea, quæ Aalzteiter tenui,  
et nonnihil obscuro Calamo, ne Veritas pateret, de ea-  
dem Patavina causa scripsit, Lib. II. p. 30. Otto Fri-  
derici Frater instructissimas copias adversus Scaligeri  
Sevitiem duxit, nihil conquestus est Ludovicus - -  
permisit Ludovicus Ottoni et Patavinis Jure agerent,  
sposponditque se utrisque aures daturum, et passus est  
Fridericum Libertate donatum una secum in ea  
causa sedere Arbitrum incredibili Comitæ, qua et  
ipsum in Triclinii et Cubiculi Societatem admisit.*  
Conf. GEWOLDVS in Ludovico IV. Lib. II. p. 97.

## XVI.

Ulterius pro Sententia nostra urgemus,  
FRIDERICVM *Austriacum* constantissime,  
et usque ad extremum vitæ halitum titulum  
et Sigillum Regis Romanorum retinuisse,  
quod non solum comprobant coævi Scripto-  
res,

VI) ex retento  
a FRIDERICO  
titulo et Sigillo  
Regis Rom. usque  
ad mortem.

res, verum etiam aliquot ejus Diplomata nunc recesenda. Ita HEINRICVS REBDORF in *Annal. ad A. 1322.* inquit in Freheri tom. I. Scriptor. Rer. Germ. p. 612. *Post dimissionem non multo tempore se Regem, sicut ante, scripsit Fridericus.* Et ANONYMVS LEOBIENSIS in *Chronici Lib. V. ad A. 1325.* in Pezii Scriptor. Rer. Germ. tom. I. Col. 926. scribit: *Fridericus autem in domo et Domino Regalis Nominis utitur, nihil contra Ludovicum animo est molitus, quietè vivens, ulterius pralia non exercens &c.* Et PETRVS Abbas in *Chronico Aula Regie c. XX. p. 62.* hæc memoriæ tradidit: *Henricus de Lypa cum quodam Australi viro nobili, dicto de Ruenstein, contendere incipit, cui FRIDERICVS, Dux Austriae, qui se Romanorum Regem asserit, contra Henricum auxilium armatorum transmittit. -- Eodem tempore, Otto Dux Austriae Junior, videns a Friderico et Alberto suis fratribus se contemni, cupiensque eis æqualiter in Austria dominari, allegans, quod FRIDERICVS nomine Regis Romani debeat contentari, adversus eos incepit -- praliari et Cap. XXIV. p. 72. Anno Domini MCCCXXX. infra Octavas Epiphaniæ, FRIDERICVS dictus*

Rex

1111.3

Rex Romanorum , Dux Austriae , qui propter Imperium occasio et materia extitit maxime discordia in omnibus partibus Alemanniae -- in Austria moritur. Inter Pietatis Austriacae innumerabilia ac immortalia monumenta , quorum integros Annales scripsit WENC. ADALBERT. CZERWENKA, Capitularis Canonicus Litomericensis, extant egregiarum Foundationum , à Friderico Augusto factarum, Tabulae , quae omnes praeseferunt Titulos Regis Romanorum perpetuo adhibitos. Ita Foundationis Literae Monasterii Viennensis pro Fratribus Eremitis S. Augustini ille recitat *Lib. II. Cap. XXII. p. 324.* ita incipientes : FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus , omnibus in perpetuum. Illustratur serenius Regia Celsitudo , dum praesidendo temporalis Regni Regimini , pietatis exercitio pro transitorio permansurum , et pro terreno Caelitum lucrari studuerit incolatum. -- In cujus rei testimonium , et perpetuam Firmitatem Sigillum nostrum Regale -- duximus praesentibus appendendum. -- Datum Vienna , Idibus Martii , Anno Domini 1327. Regni vero nostri Anno tertio decimo. Ibidem *Lib. II. C. XXIII.*

C. XXIII. §. 6. p. 342. et 343. et in LEOPOLDI BRENNERI *Hist. Cartusie Maurbacensis*, in Pezii tom. II. *Scriptor Austr.* Col. 344. et seqq. leguntur aliquot Privilegia Friderici Augusti data V. Calend. Jan. 1327. et XII. Cal. Jul. ejusd. Anni Titulo Regis Romanorum radiantia. CZERWENKA *Lib. II. Cap. XXV. p. 349.* produxit etiam Testamentum Friderici Augusti, eodem Titulo Augustali consignatum. Præter hæc domestica Documenta extat alia Charta hujus Imperatoris, ab ipso Clarissimo Scriptore Bavarico, HVNDIO in des Bayerischen Stamm-Buchs tom. II. pag. 19. producta, quæ est hujus tenoris:

Wir Friderich von Gottes Genaden / Römischer König / allzeit ein Merer des Reichs / vnnnd wir Albrecht von denselben Genaden Herzog zu Oesterreich vnnnd zu Steyr / thun kundt mit disem / daß wir vnserm liebē Dehaim Graf Albrecht zu Ortenberg gelobt vnnnd verheissen haben / da er vns gelobt zu dienen wider den König von Vngern / vnnnd den König von Behaimb / was er Schaden nem̄ in vnserm dienst / darnach so er vber das In Chöm / denselben wir ihm ablegen / als gewöhnlich vnnnd zeitlich wår / vnd geben ihm darüber disen Brieff versigelt mit vnsern hangenden Innsiglen / der ist geben zu Wien am Freytag vor dem Palmtag / da man zelt von Gottes Geburt dreyzehenhundert vnnnd in dem neun vnd zweintzigisten Jar vnser König Fridrichs Reichs in dem fünffzehenden Jar.

L

XVII.

## XVII.

VII) a Salutatione  
Imperatoris  
a Successore  
Imp. Carolo IV.

Non immerito in hac Disceptatione provocamus etiam ad Successorem in Imperio Friderici, Carolum IV. nempe Imperatorem, qui eundem Titulo Regis Romanorum ac sui Antecessoris salutavit in Confirmatione Privilegiorum et Immunitatum Cartusiae Maurbacensis, sub Aurea Bulla Pragæ Anno 1357. IV. Idus Aprilis concessa, in qua hæc leguntur: *Ad nostræ Majestatis accedens Presentiam, Nobilis Tobias de Bekingen -- -- nobis pro parte Religiosorum Prioris et Conventus Vallis OO. SS. in Maurbach, Ordinis Carthusiensis -- -- humilis supplicavit, quatenus quasdam Literas Serenissimi Friderici, quondam Romanorum Regis, Prædecessoris et Avunculi nostri charissimi -- -- præfatum Monasterium concernentes -- -- confirmare -- dignaremur.*

## XVIII.

VIII) ob Ordinum  
Imperii agnitione  
hujus Imperii  
Simultanei.

Severi Censores simultanei Imperii Fridericiani requirunt denique à nobis Suffragia Ordinum Imperii, qui hoc agnoverunt, atque Fridericum Regem Romanorum appellarunt. Ut huic etiam Postulato satisfaciamus, non solum eos remittimus ad Johannem, Episcopum Argentinensem, §. XIII. p. 75. ad

ad Bertoldum, Comitem Hennebergensem, §. XI. p. 67. atque ad Albertum, Comitem Ortenburgensem, §. XVII. p. 81. de quibus Diplomata Friderici Augusti recensuimus, verum etiam tam CZERWENKA *l. c. Lib. II. C. XXV. p. 354.* quam BRENNERVS *l. c. p. 350* testantur, superesse in Archivo Maurbacensis Cartusiae originales accepti Legati ex Testamento Friderici Imperatoris Syngraphas, et Literas Ecclesiarum Salisburgensis, Argentinenſis, Constantiensis, Passaviensis, Spirensis, Basileensis, Augustanae, Frisingensis, Ratisbonensis, et Monasteriorum Weissenburgensis, Weingartensis, et S. Emmerani, in quibus se ad anniversarium sacrum perpetuum pro Friderico Augusto celebrandum obligant, et Fridericum Romanorum Regem et semper Augustum appellant. Qualem Reverentiam Friderico Augusto An. 1328. exhibuerit Johannes, Rex Bohemiae, in Colloquio Pacificationis gratia instituto, enarrat ANONYMVS LEOBIENSIS, in *Chronic. Lib. V. ad h. Annum l. c. pag. 929.*

*Fridericus Rex cogitans periculosum esse Patriae litigia gerere, Concordiam cum Ottone, Fratrem, et Johanne, Rege Bohemiae meditatur, et indicta die conveniunt. Rex Bohemorum in occursum Friderico, detracto capu-*



cio, ut Reverentiam faceret, venienti processit: Fridericus, lente, pileo ad modicum elevato, obviationis vicem rependere videbatur. Quo facto Rex Johannes arbitrans se contentum, placiti diem solvit, dicens se Imperatoris Filium et Regem, nesciens quis eorum alteri esset preferendus.

## XIX.

Removentur  
Objectiones

1) Herwarti  
petita a varietate  
Cuspiniani.

Restat, ut Objectiones quasdam Adversariorum nostrorum circa Concordiam Augustorum, FRIDERICI et LUDOVICI simul Imperantium removeamus: HERWARTVS committit inter se Narrationes CVSPINIANI de Pacificatione Friderici cum Ludovico, et magnam Varietatem in iis notat in Ludovico IV. Imp. contra Bzovium defenso ad A. 1325 §. 33. et 34. p. 320. CVSPINIANVS enim in Opere de Caesaribus et Imperatoribus Romanis pag. 463. ita locutus est de Friderico Aug. nostro: Licet Annales viderim, quibus traditur Ludovicum è Captivitate liberasse Fridericum, sine omni Fidejussoria Cautione, sine Pecunia, quod per ipsum speraret, et Gratiam Summi Pontificis, et Leopoldi Fratris favorem sese assequuturum, et ideo ambos Reges unitos. Et paulo post in eadem pagina dixit: Cum autem triennio in Custodiis maceratus esset Fridericus, tandem Persuasione Prioris cujusdam Cartusienfis, Ludovicus Fridericum, remotis omnibus arbitris, liberat. Præmissis

missis quibusdam Conditionibus Jurejurando, ac de-  
hinc literis corroboratis, ut quidam ferunt. Expressum  
in his fuit, ut uterque quoad viveret, Regio uteretur  
Titulo: Fridericus autem Italiam non accederet, sed  
hanc liberam Ludovico permetteret. Neque Jus ali-  
quod peteret à Pontifice pro hac assequenda. Quod in-  
violabiliter observavit, etiamsi Johannes XXII. Cle-  
mensque VI. Pontifices crebro illum in Italiam pro Im-  
periali assequenda Corona evocarent. Sed istæ va-  
riæ Narrationes à CVSPINIANO allatæ sunt ex  
variis Chronicis à se citatis; nam ipse deinde  
provocat pag. 64. ad Tabulas istas Unionis Au-  
gustalis, sibi à Putschio communicatas, atque  
à se Annalibus Austriæ insertas. Varii isti An-  
nales antiquissimi varia, pro incerto rumore,  
retulerunt, de Transactionis Capitibus inter  
Fridericum et Ludovicum Augustos, quæ  
CVSPINIANVS saltem recensuit, minime ve-  
ro suo calculo firmavit.

## X X.

Urget porro HERWARTVS l.c. §. 35. et post<sup>2)</sup> eum idem opponunt Consultiff. STRUVIUS in  
Synt. Hist. Germ. Diff. XXVI. §. 12. p. 485. et PFEFFINGER  
in Vit. illustr. Tom. I. p. 69. parum hæc inter se  
convenire, quod primo dicatur, in Pactioni-  
bus cautum fuisse, ut Fridericus Italiam non accede-

<sup>2)</sup> a contradi-  
ctione in pactis  
de expeditione  
Italica a Fride-  
rico Imp.  
facienda.

ret, sed hanc liberam Ludovico permetteret; in Pactis vero ipsis, à CŒSPINIANO productis, legantur hæc verba: *Si proficiscatur unus ex nobis in Italiam huic debet alter Mandatum suum eo tradere, et iste huic hinc in Germania relinquere.* Item quod in aliis Literis à CŒSPINIANO allatis dicatur: *Ludovicum Regem Friderico Regi cessisse Imperium Romanum.* Ad hæc vero regerimus: *primo*, Pacta incerta cum certis non esse permiscenda; *deinde* Literas Imperatoris Ludovici Ulmenfes, quæ leguntur *in Dissertationis hujus §. X. p. 64.* non continere Cessionem Romani Imperii Friderico Augusto factam a Ludovico Imperatore, sed potius esse mandatum, conforme Unionis Augustalis Tabulis, secundum *Articulum 14. p. 25. hujus Dissertationis*, à Collega Imperii Collegæ datum, ut posset communi Potestate Imperii Negotia Transalpina tractare. Constitutum autem initio fuisse inter hos Consortes Imperii, ut Liberatus Fridericus pro Ludovico Liberante deberet ad partes Italiæ proficisci, cognoscimus ex Epistola Pontificia §. IX. *hujus Dissertationis pag. 60.* inserta. Postea vero mutatam hanc sententiam fuisse, atque Ludovicum Bavarum potius elegisse Expeditionem Italicam, VILLANVS docuit  
in

in Testimonio in §. VIII. antecedente pag. 56. al-  
 lato. Fridericum autem et Ludovicum, Au-  
 gustos, inter se communicasse Consilia de  
 Protectione Italica prudenter instituenda, te-  
 stantur veteres Scriptores. PETRVS Abbas in  
*Chron. Aula Regia c. XIX. ad A. 1327. p. 59.* inquit:  
*Hoc in Anno, Mense Martio Lodovicus, per sedem*  
*Apostolicam reprobatus, à Vulgo vero Imperator et Rex*  
*Romanorum nuncupatus, ad partes Italia proficiscitur,*  
*ad quas per quendam Virum potentem, qui Canis de*  
*Verona dicitur, præcipue invitatur. Paucorum Prin-*  
*cipum Alemannie usus est Lodovicus Consilio in hoc*  
*facto; Scivit tamen et consuluit hoc Negotium Fride-*  
*ricus Dux Austriae, qui gaudet pari Regis Titulo et*  
*Nomine, sperans ex hoc Alemannie Regnum et Regi-*  
*men obtinere.* HENRICVS REBDORF in *Annal.*  
*ad 1322. l. c. p. 612.* hæc scribit: *Anno Regni sui duo-*  
*decimo cum Colloquium haberet cum Friderico prædi-*  
*cto, jam dimisso, adhuc vivente in Isprugka, et in*  
*eodem Colloquio non multum se amice ab invicem*  
*separarent, idem Ludovicus ingressus est Alpes.*  
 Ne vero aliquem etiam offendere possit inusi-  
 tatus Titulus, REGIS FRIDERICI à ROMA, in  
 dicto Mandato Imperatoris Ludovici pag. 64.  
 occurrens, monemus, hunc Stylum Curiaë  
 eo tempore fuisse; nam ita legimus in Diplo-  
 mate Alberti II. Ducis Austriaë d. d. Insprugg.

am zinstag nach sand thomas tag/ A. 1326. in R. P. STEYERERI *Comment. pro Hist. Alberti II. D. Austr. in Addit. ad cap. I. p. 24.* Were auch / des Gott nit welle / das wir nit weren / oder dabey nit gesin möchten / so soll unser lieber Herre und Bruder Kunig Friderich von Rom / oder anderr unserr Bruder einer denselben gewalt haben etc.

## XXI.

3) à défaut Con-  
sensus Ordinum  
et Electorum  
Imperii.

Instat porro PFEFFINGERVS l. c. p. 69. et ulterius hoc modo etiam contradicit: *Si verae sint haec Tabulae, mirandum, tanti momenti Negotium sine Consensu Ordinum Imperii fuisse susceptum, cum eo ipso omni robore destituantur. At Ordines laudatos de Societatis hujus Validitate non consensisse, altum de iis Silentium, quodque nec Archiepiscopus, nec Episcopis, nec Dux, nec Princeps, chartam subscripserit, argumento est.* Eadem jam olim objecit Pontifex JOHANNES XXII. in Literis ad Balduinum Archiepisc. Trevirens. apud RAYNALDVM l. c. ad A. 1326. §. 26 *Non sufficimus admirari, quod in cor alicujus prudentis, qui nostros Processus contra Bavarum habitos noverit, ascendere possit vel potuerit, quod Concordia, quae facta esse inter Australes et Bavarum dicitur, nobis grata sit vel accepta; praesertim cum illa Concordia solis tribus ex ipsis, ad plus quatuor nota, omnibus aliis, prout fertur, occulta remanet et incerta. Ex quo probabiliter convincitur reproba et indecentia, ac juri Sanctae Romanae Ecclesiae et illorum, ad quos Jus eligendi*

gendi Regem assumendum in Imperatorem pertinet, ob-  
 via continere; Præsertim cum Bavarus iis, quæ Australes  
 asserunt, non concordet: immo, sicut fertur, in dua-  
 bus Congregationibus Eligentium habitis pro parte sua  
 iis fuerit contradictum expresse. Nam ex hac Epi-  
 stola discimus, ab Electoribus in duobus Con-  
 ventibus hac de causa habitis Pacto de Socie-  
 tate Imperii à Friderico et Ludovico Augg.  
 inita fuisse contradictum, quem Dissensum  
 eorum jam antea VILLANVS indicavit in  
 §. VIII. p. 56. h. Diff. Subvertere tamen hoc Vo-  
 luntarium Imperii Consortium Friderici et  
 Ludovici, Augg. non potuit hæc Reclamatio  
 et Oppositio Electorum, quoniam ambo de-  
 clararunt, se, sive cum Principum Voluntate,  
 sive sine eorum Voluntate, velle simul admini-  
 strare Imperium et Dignitatis Imperialis In-  
 signia æqualiter participare. vid. Mandatum  
 Imp. Lud. in §. X. pag. 64. h. Diff. Postea ergo  
 procul dubio huic Pacto Augustali ad mini-  
 mum tacite suffragati sunt Electores, quo-  
 niam de ulteriori Dissensu eorum non solum  
 nihil constat, sed etiam Ordines Imperii non  
 abhorruerunt à Friderico Augusto Privilegia  
 expetere, quæ nullius fuissent Valoris, si acce-  
 pissent ea ab Imperatore, quem Electores in

M

hac

hac Dignitate non agnovissent. PFEFFINGERVS insuper frustra desiderat subscriptionem Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum et Principum, sive generatim Ordinum Imperii, Consensum; Nam tunc jam erat penes solos Electores Jus tam eligendi et nominandi, quam destituendi et reprobandi Regem Romanorum. In Decreto Electionis Imperatoris Henrici VII. in LEIBNIZII *Mantissa Part. II. Cod. Dipl. J. G. p. 252.* Balduinus, Trevirorum Archiepiscopus, ita loquitur: *Ego legi Monitionem, et Protestationem quandam vice mea et omnium, jus in ipsa Electione habentium, monendo omnes excommunicatos, suspensos, ac etiam interdictos, nec non quoscunque alios, si qui forent forsitan inter eos, qui de Jure, vel Consuetudine, interesse in ipsius Electionis Negotio non deberent, quod à tractatibus Electionis celebranda, et ab eadem Electione recederent, me, et alios, libere eligere permittentes, protestans, quod non esset mea, vel aliorum intentio, tales admittere, tanquam jus in Electione habentes, aut procedere vel eligere cum eisdem, immo volui, quod voces talium, si qui reperirentur postmodum interfuisse, nulli præstent Suffragium, nec alicui afferant Nocumentum, et prorsus pro non receptis, sive pro non habitis, habeantur. Quam Protestationem nos omnes, et singuli alii nostri Coelectores, ratam et gratam habentes, et acceptantes,*

tes, *consensimus in eandem*. Sufficiebat ergo ad Pacti de Conjunctione Augustorum majorem firmitatem solus Electorum Consensus.

## XXII.

Qui illustrissimum Monumentum communis Administrationis Imperii inter Fridericum et Ludovicum transactæ à nobis postulant, nimirum Diploma Subscriptione et Sigillo utriusque Imperatoris firmatum, hos pertinacissimos Adversarios sociatæ duorum Augg. Potentiæ, à nobis assertæ, remittimus ad WOLFG. LAZII *Comment. Genealog. Austriaca Lib. II. p. 219.* ubi hæc leguntur: *Tales plures non solum in Archivis extant Literæ: (scilicet tam à Friderico, quam à Ludovico, pro æquali Dignitate Augusta in Negotiis Imperialibus, juxta Pactum Augustale, quod paulo ante recensuit LAZIVS, datæ) sed Exempla passim etiam in Annalibus recensentur, ab utroque Principe conjunctim datarum, post Liberationem videlicet A. 1325.*

4) a defectu diplomatum a duobus Imp. istis subscriptorum.

## XXIII.

Implacabile odium Johannis XXII, P. R. erga Ludovicum, Imperatorem, denique adduxit Fridericum, ut cogitaret de favore Pontificis sibi soli comparando, Intercessoribus, tam Moguntino et Coloniensi Archi-Episcopis,

Friderici Imp. iteratum studium placandi Papam prodit ejus constantiam in retinendo Imperio.



pis, quam Fratrem, Alberto, Duce Austriae, quam  
 ejus operam prodit Epistola Pontificis ad Re-  
 gem Franciae, Carolum IV. in RAYNALDI l. c. ad  
 A. 1326. N. 7. p. 310. in qua haec leguntur: *Præterea,*  
*sicut ad aures supponimus regias pervenisse, ambassata*  
*solennis pro parte Viri Magnifici, Friderici, Ducis Austriae,*  
*dudum in Regem Romanorum electi, dirigenda nobis or-*  
*dinata existit pridem, in qua dilecti Filii, nobilis Vir*  
*Albertus, ipsius Friderici Germanus, pro eo, et de Bu-*  
*cheli, ac de Virnemberch Comites pro venerabilibus*  
*Fratribus nostris, Maguntino et Coloniensi, Archi-*  
*Episcopis, fuerint ad eveniendum cum aliis nonnullis*  
*Personis solennibus, specialiter deputati. Qui siquidem*  
*Australes duos postmodum Praecursores Nuncios præmit-*  
*tentes, à nobis nonnulla in Favorem Electionis Friderici*  
*prædicti cum ferventi Instantia postularunt: Quibus*  
*cum annuendum minime decreverimus, tam Praecurso-*  
*ribus ipsis oretenus, quam Alberto prædicto per se spe-*  
*ciales Literas duximus taliter respondendum, videlicet*  
*quod super Negotio per eosdem Nuncios proposito, præsa-*  
*tum Fridericum principaliter contingente, parati eramus,*  
*promte et expedite cum Fratrum nostrorum Consilio,*  
*sicut et requirit Negotii Qualitas, Justitiam exhibere,*  
*et adhuc gratiose et favorabiliter, quantum sine Dei*  
*Offensa, suæque dictæ Ecclesiae Præjudicio, ac Injuria*  
*Principum, ad quos Electio Regis Romanorum promo-*  
*vendi in Imperatorem pertinere noscitur, poterit fieri,*  
*cum hoc opportune postulatum fuerit, nos habere. &c.*  
 Datum

Datum Avinione IX. Kalend. Decembris. Anno X.  
 Ex his itaque, satis superque cognoscimus,  
 Friderici Austriaci animum obfirmatum in re-  
 tinenda Imperatoris Dignitate, etiam in hac  
 simulata et vana promissione Pontificis, quam  
 etiam non, nisi cum morte, deposuit.

## XXIV.

ADHVC ergo STAT FRIDERICVS AV-  
 STRIACVS in Fastigio Imperialis Majestatis,  
 et quidem citra injuriam Ludovici Bavari Im-  
 peratoris, ex quo Eum dejicere haecenus con-  
 sueverunt plerique Historiæ Germanicæ Scri-  
 ptores; Quem Honoris Summi Grādum ve-  
 ro à se, post tot calamitates et maximam ad-  
 versæ fortunæ vim, constanter conservatum,  
 Ipse etiam adumbrare voluit in Symbolo suo  
 heroico, quod nobis sistit Truncum Statuæ  
 Herculis, femoretenus in Basi stantis, vulnera-  
 to etiam dextro Pede, cum hoc Lemmate:  
 ADHVC STAT. vid. LEVIN. HVLSIUS in Serie  
 Numismat. Imp. Romanor. p. 281. et STRADA de Vitis  
 Imp. p. 458. Faxit vero DEVS benignissimus,  
 SStator et Custos Imperii Romano Germani-  
 cci, ut in illo series IMPERATORVM AV-  
 STRIACORVM nunquam deficiat, sed pro-  
 sperri-

Epilogus ex Sym-  
 bolo Imp. Fride-  
 rici.

sperrime multiplicetur numerus PIORVM,  
FELICIVM, IVSTORVM, CLEMEN-  
TIVMQ. AVGVSTORVM, ex annosa Stirpe  
AVSTRIACA progenitorum, quorum Vir-  
tutibus maximis non impar Fortuna et Po-  
tentia respondeat, et quorum CONSTAN-  
TIA et FORTITVDINE Salus, Tranquil-  
litas et Gloria Imperii quam diutissime  
promoveatur et protegatur!



NOBI-

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
AVCTORI RESPONDENTI

S. P. D.

PRÆSES  
DISSERTATIONIS.

**N**E vacuum sit spatium plagulae hujus ultimae, non possum non publicum testimonium perhibere summæ tuæ industriæ, quam in elaboratione hujus Dissertationis Academicæ laudabiliter comprobasti. Nam cum Philosophiæ et Iurisprudentiæ studio amplissimo, quod in celeberrimis Germaniæ Academiis, Tubingensi, Argentoratensi, et Marpurgensi, per lustrum, et quod excurrit, maxima animi contentione exercuisti, feliciter etiam conjunxisti historiarum utilissimam cognitionem, ut tibi nihil desit, quod cum ad eruditionis tuæ variæ ornamenta, tum ad augendum ingenii tui præstantissimi cultum, valeat. Selegisti ergo, me auspice et duce, illustrissimum gravissimumque argumentum, in quo vires doctrinæ  
histo-

historicæ exfereres , ac, subsidiis a me indicatis et sub-  
ministratis , solerter et accurate expendisti conditiones ,  
quibus libertatem Imp. FRIDERICVS AVSTRIA-  
CVS ab Imp. Ludovico Bavaro recuperavit , a longo  
tempore ab Austriacis et Bavaricis Scriptoribus vehe-  
menter disputatas. Sincere docuisti, per quæ multa cer-  
tamina, et per quas mirificas vicissitudines , conservata  
fuit ac stetit FRIDERICO AVSTRIACO Imperatoria  
Majestas, et modeste respondisti dissentientium rationi-  
bus. Votorum ergo meorum summa est , ut AVGV-  
STISSIMO IMPERATORI hoc devotissimæ ve-  
nerationis nostræ in Sacratissimam DOMVM AV-  
STRIACAM monumentum , NVMINI MAIESTA-  
TIQVE EIVS humillima submissione dicatum et con-  
secratum , non displiceat, ac mereatur gratiam et favo-  
rem Mecænatum purpuratorum , qui in primis deliciis  
habent historiæ Germanicæ studium , ejusque incre-  
menta omnibus modis indulgentissime promovent.  
Fortunet porro benignissimum Numen omnes tuos egre-  
gios conatus, et concedat tibi amplissimos honores,  
qui solent doctrinam solidam , virtutes eximias, et sin-  
gularem vitæ elegantis integritatem, comitari. Vale.  
Altorf I d. xxiii. Aprilis A. C. MDCCLXXXIII.



